This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600052679Z

# POMPEII TROGI

## FRAGMENTA,

QUORUM ALIA IN CODICIBUS MANUSCRIPTIS BIBLIOTHECAE OSSOLINIANAE INVENIT, ALIA IN OPERIBUS, SCRIPTORUM MAXIMAM PARTEM POLONORUM, IAM VULGATIS PRIMUS ANIMADVERTIT, FRAGMENTA PRIDEM NOTA ADIUNXIT, AC UNA CUM PROLOGIS HISTORIARUM PHILIPPICARUM ET CRITICIS ANNOTATIONIBUS
EDIDIT

AUGUSTUS BIELOWSKI
OSSOLINIANAE BIBLIOTHECAE CUSTOS.

**Accedit notitia literaria de Trogo, et Index.**

BIBLIOTHECA BODLEIANA

LEOPOLI
IN TYPOGRAPHIA BIBLIOTHECAE OSSOLINIANAE,
Adalberto Maniecki huiusce typorum Directore et Conductore.

1853.

Sup. b. 86
9 L. L. 112

# PRÆFATIO.

Versanti mihi diutius in explorandis patriis rebus gestis, Polonorumque chronica volventi, saepe saepiusque mentio de Pompeio Trogo occurrit; quam tamen minoris momenti esse censebam, memor eorum, quae ab eruditis, aliisque meis hac in re antecessoribus hoc sub obtutu prolata sunt, nimirum: scriptores chronicorum Polonorum Iustinum tantum nosse, nequaquam Trogum ipsum, atque more, qui tum temporis in tota fere Europa invaluit, pro Trogo Iustinum testem laudasse. At fecit in his experientia cautiorem. Namque dum in bibliotheca Ossoliniana anno 1845 munere meo fungi vix coeperam, incidit in manus eiusdem bibliothecae manuscriptum opera quaedam Romanorum Graecorumque scriptorum, modo integra, modo ex hisce excerpta continens. Posteriora haec exiguis et non sat distinctis literis exarata, atque in diversis codicis paginis dispersa, quamquam lectu difficilia

fuerint, tamen conspectum folio 56 verso nomen Pompeii Trogi, maioribus paululum literis scriptum vehementer ad volvendum ipsum codicem incitabat. Mox persuasus eram, allata illic fragmenta hausta esse e celebri illo rerum gestarum scriptore, qui lectoribus suis non solum latiorem conspectum in historiam mundi aperiebat, sed etiam eorum animos divinae eloquentiae vinculis captos tenebat. Etenim iam in priori horum fragmentorum rem narrat permagni momenti, cuius ne verbo quidem Iustinus mentionem facit, utpote, Getarum in Italiam invasionem, quam pagina 27 huius opusculi legas. Haec postquam detecta erant, rei consentaneum fuit, ut ad manuscripta, quae postea volvebam, maiori cum studio ac sobrietate me accingerem, idque non solum in his, quae res gestas Polonorum propius aut remotius illustrabant, verum etiam in illis, quae ad scriptores antiquitatis eorumque opera spectabant. Horum nonnisi tenuem suppeditabat copiam bibliotheca Ossoliniana, quae, ut aliis in partibus abundet operibus, ac praesertim monumentis ad historiam seculi XVI et XVII spectantibus hodie inter ceteras in Polonia excellat, in his vix aliquot codices ante inventam typographiam scriptos exhibet, ubi unum alterumve classicum magis pervulgatum, aut saltem quaedam ex hoc excerpta reperias. Contigit tamen, ut hoc non

obstante in tribus aliis manuscriptis eiusdem bibliothecae quaedam minora ex Trogo fragmenta reperirem, quae paginis 9, 10 et 17 huius opusculi lectoris obtutui sistuntur. Ex his singularem attentionem meretur fragmentum 22, manuscripti sub finem seculi XVII in Polonia exarati, pagina 17 in sermone polonico allatum, cui eadem manus, quae locum laudat, nomen Trogi adponere minime neglexit. Quae in hoc fragmento exponuntur, Iustinum plane fugiunt. Unde sine ulla dubitatione inferre licet, Pompeii Trogi Historias Philippicas, si non integras, saltem singulos earum libros, vel quaedam alia, praeter Iustinum, ex iisdem excerpta, usque ad seculum XVII in Polonia extitisse.

At multo plus temporis operaeque consumendum erat in scrutandis Polonorum chronicis, quam in percurrendis paucis hisce codicibus. Namque, dum Pompeii Trogi opera in Polonia extitisse luce clarius mihi apparuerit, orta est simul necessitas nova, cognitos ac bene exploratos habendi illos chronographos Polonorum, qui auctorem hunc testem laudant. Verum chronographi illi nonnisi ex editionibus mancis ac artis criticae expertibus hucusque innotuere; ipsi codices manuscripti longe lateque per Europam dispersi perdifficilem dant aditum, unde in cognoscendis quoque iisdem incredibiles nascebantur difficultates. Quapropter omnes viae ten-

tandae erant, ac impedimenta submovenda, et quem indefessus multorum annorum labor dedit fructum, quatenus ille ad res gestas Polonorum spectat, alio in opere 1850 anno publici iuris esse volebam [1]. Hic autem loci liceat paucis explanare illa, quae ipsum Pompeium Trogum et notitiam eius operum in Polonia concernunt, atque simul illustrandis hisce fragmentis quodammodo inservire possunt.

Verum pristinorum chronographorum in Polonia pleniorem Pompeii Trogi notitiam habuisse videtur Matthaeus stemmatis Cholewa, qui scriptores antiquitatis permagni faciebat, seque ipsum »antiquorum infantulum« profitebatur. Opulentus hic presbyter, qui adhuc scholasticus Stobniciensis Vladislaum II Poloniae regem pecuniis suis adiuvabat, evectus est ad dignitatem Cracoviensis Episcopi anno 1143, qua per annos 23 functus, 18 mensis Octobris 1166 anno obiit. Erat ille intimae amicitiae nexu iunctus celebri olim comiti Petro, qui a posterioribus scriptoribus passim Petrus Danus appellabatur; nec non consanguineo huius Petri, Ioanne stemmatis Gryf, tum episcopo Vratislaviensi, ac post archiepiscopo Gnesnensi, familiarissime utebatur. Ingens tum fama virtutum Bernardi, Abbatis Clareval-

---

[1]) Titutus operis huius est: *Wstęp krytyczny do dziejów Polski przez Augusta Bielowskiego. Lwów. W drukarni Zakładu narodowego imienia Ossolińskich. 1850.* 8vo. IV. 542.

lensis per Poloniam vagabatur. Hunc Ioannes summo studio coluit, eiusque vestigia est secutus; Matthaeus autem literas ei circa annum 1150 misit, quibus eum, ut in Poloniam veniret, suo et Petri comitis nomine invitaret. Quae literae in archivo Vaticano asservatae, primum in Pezii Thesauro Anecd. T. V pag. 360., dein in opere meo *Wstęp krytyczny* pag. 94 in lucem prodierunt. In quibus Matthaeus, facta mentione meritorum comitis Petri de religione, comparat Bernardum Abbatem Thraeicio Orpheo »qui sylvestres et lapideos homines lyrae cantibus delinivit, legemque pati coegit [1])« ipsumque vocat, ut in barbara ac slovenico sive ruthenico ritui dedita Polonorum gente ad eadem miracula patranda festinaret. Atque hic idem Matthaeus, cuius styli elegantia et auctorum classicorum cognitio iam ex epistola supra memorata elucet, scripsit Polonorum chronicon, verbis Pompeii Trogi de Illyriis prolatis incipiens, cui tamen haud contigit in eadem forma primaeva ad nostra tempora pervenire, sed tantum in commutatione a Vincentio suscepta.

Vincentius natus est circa annum 1160 patre Boguslao in pago Karwow, prope oppidum Opa-

---

[1]) Sua sponte incidunt hic in mentem, quae ex Trogo Iustinus XI. 1. de Mida rege narrat: »qui ab Orpheo sacrorum solemnibus initiatus Phrigiam religionibus implevit, quibus tutior omni vita quam armis fuit.«

tow dictum. Qui iuvenis omni studio et fervore ad artes liberales incubuit, ac in his magistri gradum consecutus est. Postea inter annum 1186 et 1194 praepositus ecclesiae Sandomiriensis factus, a Casimiro II rege Poloniae iussus est patrias res gestas memoriae tradere. Cui ille officio ita satisfaciendum existimavit, ut Matthaei chronicon, quod Poloniae historiam usque ad annum 1166 complexum fuisse ferebatur »in meliorem formam redegerit [1]« feceritque, ut illud ad dialogos antiquorum scriptorum, praesertim ad insignem illum Ciceronis dialogum De Republica, Romanas res gestas antiquiores libro secundo continentem, quam proxime accederet. Atque huius dialogi Vincentium nostrum bene gnarum fuisse, indicia haud dubia loquuntur. Digestis ita rebus anteactis, et in tres libros divisis, addidit librum quartum, integrum Marte suo scriptum, qui speciem non dialogi, sed narrationis perpetuae refert. Anno 1207 sedem episcopalem Cracoviensem conscendit, atque hac dignitate per annos 12 florens, tandem anno 1218 illam sua sponte deposuit, vitamque monasticam Cisterciensium in oppido Andrzeiow amplexus est. Hic autem ordo paucis ante deceniis in Poloniam introductus, solis extraneis, utpote Germanis atque Gallis compositus erat, qui domicilium

[1]) Chron. Vinc. cod. ms. VI p. 126., ed. Dobrom. p. 10.

quoque suum extraneo Morimundi minoris nomine compellavere. Etiam Vincentius, ordinem hunc ingressus, eandem nominis sui commutationem passus est: utebatur enim, ut supra dictum est, patre Boguslao, quod nomen germanico *Gottlob* et antiquo teutonico *Cotlob* [1]) respondet; monachi autem a nomine genitoris, in linguam germanicam verso, Vincentium Cotlobonis esse dixerunt, atque hoc nomen, monasticae ac extraneae originis, postea ad suos transiit, qui eum Vincentium Catlubonis vel Cadlubonis, aut simpliciter *Kadlubek* adpellaverunt. Decessit die 8 Martii 1223.

Etiam Vincentium tam scriptorum antiquitatis in universum, quam praesertim Pompeii Trogi adaequatam cognitionem habuisse manifestum est; at ex chronicis eius liquet, ei humaniora studia magis, quam rerum gestarum scientiam ac artem cordi fuisse. Quare et ipsa chronicorum pars, quam a Matthaeo sumpserat, quorum in limine egregium ac memoria dignum fragmentum ex Pompeio Trogo reperitur, multum detrimenti cepisse videtur ex nimio Vincentii studio elegantiae, ac omni opera impensa, ut pars illa Ciceroniani dialogi faciem indueret. Atque hoc Vincentianum chronicon plurima mihi suppeditavit Trogi fragmenta, in hoc opusculo a me in lucem missa. Quae ut invenirem,

[1]) Cf. Graff *Althochdeutscher Sprachschatz* II. 50. Berlin 1834—1842.

mihique ipsi exploratum esset ex Trogo deprompta fuisse, haud mediocre auxilium tulit ipse Iustinus. Namque chronographus noster, ut et Matthaeus Westmonasteriensis aliique, non solebat in quovis fragmento deprompto Trogum auctorem laudare; verum facta huius auctoris mentione in uno exemplo, reliqua absque ulla nominis commemoratione proferre consueverat. Horum fragmentorum duplex est genus: alia quoad rem ipsam, cum narratione Iustini plane congruunt, solaque verba varias exhibent lectiones; alia vero, eaque pauciora, aut factum a Iustino nonnisi obiter narratum uberius exponunt, aut res gestas narrant, quas in Iustino frustra quaesiveris. Saepius in mentem incidit, utrum non potius ex re esset nonnisi haec posteriora fragmenta recidere, eaque in hocce opusculo iuris publici facere; verum perpenso diligenter eo, quod Iustinus in compendio Trogi saepissime eiusdem verbis usus est, ac proinde etiam fragmenta priora, utut contextui Iustineo similia, ex Trogo tamen ipso hausta esse poterant, siquidem Vincentius Iustini nomen nusquam adfert; dein, quod fragmenta illa, quae hucusque viros eruditos latent, futuris commentatoribus Iustini, (cuius editio critica semper adhuc desideratur) alicui utilitati fore crediderim: utraque in opusculum hoc assumenda, in adnotationibus vero loca Iustini congruentia indicanda esse

censebam. Usus autem sum in citacionibus chronici Vincentiani editione Varsoviensi [1]); illam tamen saepissime ad fidem codicum manuscriptorum, quorum haud exiguus numerus mihi ad manus fuit, castigavi. Vanus quoque ac irritus esset labor quaerere Trogi puritatem ac elegantiam linguae in hisce fragmentis; ut enim vera referre videntur, dum res gestas narrant, sic oratio ipsa inculta atque barbaris medii aevi vocibus inquinata adparet, si allata sub numero 30, 31, 38, 45, ex parte etiam 32, fragmenta excipias, quippe, quae orationis Trogianae specimen laudabile praebent.

Scriptorum Polonorum serioris aetatis duo potissimum Trogi cognitionem profundiorem exhibent, nimirum: Ioannes Długossius et Martinus Bielski. Horum primus anno 1415 in pago Brzeznica natus, literis ac scientiis operam dedit Cracoviae; postea Canonicus Capituli Cracoviensis electus, ac filiorum Casimiri Jagellonidis, Poloniae regis, institutor factus, tandem archiepiscopi Leopoliensis nominati dignitate ornatus, 1480 anno obiit. In opere suo: *Historia Polonica*, duodecim libris complexa, quaedam ex Trogi libro XLIII accuratius ac ipse Iustinus adduxit; in excerptis autem, quae ex lectissimis auctoribus Romanis in usum filiorum Casimi-

[1]) Res gestae Principum et Regum Poloniae per Vincentium (Kadłubkonem) etc., accedit Chronicon Polonorum per Dzierswam (*Miersuam*). Varsoviae 1824. 8vo Pars I. XXVI. 304. Pars II. 193.

ri regis paravorat, nonnulla ex Trogo loca exscripserat, quae in Iustino plane non inveniuntur. Quae Długossii excerpta hodie in bibliotheca Ossoliniana Leopoliensi asservantur, partemque codicis, quem supra memoravi, constituunt.

Martinus Bielski natus est vergente iam ad finem seculo XV, in pago Biała, terrae Sieradiensis. Iuvenis sub signis Ioannis Tarnowski militavit, atque celebri illi proelio ad oppidum Obertyn anno 1531 interfuit, quo Valachorum vis fracta erat. Scripsit sermone Polonico genus quoddam historiae orbis, quod vulgo *Kronika świata*, id est, chronicon mundi nuncupavit. Atque hoc opus multoties intra annum 1534 et 1564 mutatum auctumque Cracoviae in lucem prodiit: quod tamen non obstitit, quominus opus rarissimum nunc evaserit, studio cleri catholici, qui illud, ob opiniones quasdam in eo contentas, damnabat ac extinguere conabatur. At ego in adferendis locis editionem secutus sum Cracoviensem in folio, a. 1564 vulgatam. Semel tantum, idque pagina 79 editione ex a. 1550 in 4to vel ideo usus sum, quia allata ibidem verba in editione prius memorata desunt. Decessit anno 1575. Aliud eiusdem auctoris opus *Kronika Polska* (Chronicon Polonorum) vulgatum est primum post eius obitum a filio Ioachimo, qui multis in eo mutatis additisque, ipse pro parte sua auctor operis habendus est.

Fragmentum vero scitu dignum, ex hocce chronico depromptum, sub numero 37 in hoc opusculo allatum, lectoris attentioni commendamus; quae vero ex priori opere desumpta sunt, ibidem sub numero 10 et 33 reperiuntur.

Iam vero detectis a me fragmentis addere illa, quae antea nota, ac melioribus Iustini editionibus adiuncta erant, non omittebam. Videbantur quoque illa iuxta ordinem Prologorum Historiae Philippicae esse ordinanda, ipsique Prologi parum adhuc cogniti iterum typis mandandi. Posteriores iam dudum in Polonia noti fuere. Scilicet Andreae Wargocki, dum anno 1607 Cracoviae Iustini in Polonicam linguam versionem vulgabat, Prologi illi sub manu fuere, qui nonnulos in Polonum idioma translatos in limine versionis suae posuit [1]). Horum Prologorum manuscriptum, operi Iustineo praemissum ac seculo XV exaratum, bibliotheca Universitatis Iagellonicae Cracoviensis possidet, cuius accurata descriptio una cum variis lectionibus anno 1826, cura ac opera Cl. I. H. S. Rzesiński, Cracoviae prodiit. Quem codicem manuscriptum Cracoviensem in hoc ego opusculo consului, in reliquis vero editiones Duebnerianas, Lipsiensem nempe ex anno 1831 et Parisiacam ex anno 1836, secutus sum.

Neque inutile fore censeo, simul monere, prae-

---

[1]) Vide Prolog. lib. 7. 8. etc.

ter auctorem, cuius fragmenta hisce vulganda statui, aliorum etiam scriptorum Romanorum opera, quae hodie aut integra, aut saltem ex parte perisse creduntur, in Polonia ut ex vestigiis claris patet, extitisse, nimirum:

1. Valerii Maximi liber de vita Iulii Caesaris.

Primordia rerum Polonarum, prout a chronographis Miersua et Vincentio narrantur, ac vulgo historiae fabulosae nomine veniunt, investigationes novissimae brevem esse epitomen ex antiqua Illyrio-Dacorum historia declarant. Chronographi illi Polonorum haec de Cotye, Getarum rege, quem Lestconem tertium nominant, verba proferunt: »qui Iulium Caesarem, primum monarcham, tribus fudit proeliis; qui ducem Romanorum (Bebium) cum omnibus copiis delevit.« Haec facta eadem esse, quae Appianus de Illyriis cap. 12 et 13, ac Cicero in epistola V. 11., referunt, a me in opere meo *Wstęp krytyczny* p. 360—365 demonstratum est. Adde, quod Chronicorum Vincentii commentator, seculo XV, supra allata verba ita illustrat: »De isto refert Valerius Maximus in libro de vita Caesaris.« Nec falso. Etenim scriptor vitae Iulii Caesaris bella Illyrica melius Appiano noverit eaque accuratius adumbraverit necesse est. Ex quibus patet Valerii Maximi opus adhuc seculo XV Cracoviae extitisse.

## 2. Ciceronis libri de Republica.

Iam Vincentium Cadlubonis libros hos nosse, indicia certa in Chronicis eius loquuntur. Opus hoc Ciceronis in codice membranaceo nitidissime scripto vidit quoque in Polonia seculo XVI Laurentius Müller, apud Ieremiam Wojnowski Vicecapitaneum Tremboweliensem, dicitque, Attico illud fuisse dedicatum. Utrum Ioannes Kochanowski, qui in opere suo *Wróżki* varias sententias ex Ciceronis opere de Republica adfert, easdem ex ipsis libris Ciceronis, vel ex operibus Augustini et Lactantii deprompserit, incertum est. Verum in auctoris anonymi opusculo, cui titulus *Paradoxa koronne*, quodque ex codice, anno 1603 scripto, nunc primum vulgavi [1]), inter alia librorum Ciceronis de Republica vestigia sequens ex iisdem libris reperitur sententia, quae inter fragmenta operis huius ab Angelo Maio edita non occurit, atque sine ulla dubitatione ex codice horum librorum manuscripto, tum in Polonia existente, deprompta est. Namque anonymus ille Ciceronem testem his verbis laudat: »Recte Cicero in libris de Republica scripsit: Quicumque epulis et conviviis et sumptibus aestimationem hominum sibi conciliant, palam ostendunt, si-

---

[1]) Paradoxa koronne publice i privatim potrzebne szlachcicowi Polskiemu. Napisane roku 1603. W Krakowie, nakładem i drukiem Józefa Czecha. 1853. 12. str. XXI. 152.

bi verum decus, quod ex virtute ac dignitate nascitur, deficere[1]).« Atque hanc ipsam sententiam auctor, libros De Republica Ciceronis aperte laudans, pagina 80. iterum profert. Denique alia ex eodem Ciceronis opere sententia, quae in fragmentis ab Angelo Maio editis desideratur, in codice manuscripto bibliothecae Ossolinianae, Nr. 458 p. 82., reperitur his verbis: »Cicero De Republica: Leniter atque placide fides, non vi et impetu, concuti debere.«

Praeter haec sunt etiam in veteribus scriptoribus Polonis notitiae historicae, quorum fontes quidem non indicantur, quas tamen nosse rerum antiquitus gestarum scriptoris multum interest. Harum, quae cum Trogi fragmentis nexum arctiorem habent, nonnullas in adnotationibus indicare non supersedebam; hic autem sit locus sequentibus.

In chronico Vincentiano fit mentio regni Illyriorum, seculo quarto ante Christum natum fundati a Bardili, quem chronographus Polonus Graccum I. adpellat, narratque fines regni huius ab ora Partinorum in litore maris Adriatici sita (cuius terrae urbes principes Parthos ac Dyrrachium fuere) usque ad Danubium ex una, parte vero ex altera usque ad Alpes extensos fuisse. In descriptione hac ocurrit scitu admodum digna mentio de certamini-

[1]) p. 108.

bus saepius renovatis inter Illyrios et Gallos, ac de illorum nece ope veneni, dolo ab his adhibito. Quam Illyriorum (Autariatarum) necem etiam Theopompus (II. fr. 41) et Polyaenus (Stratag. VII. 42. 1) memorant; de terris autem ab Autariatis in ditionem suam redactis, levis apud Strabonem (Geogr. VII. 318) et Appianum (Illyr. c. 3) mentio reperitur. At communiter ab eruditis ignoratur, quonam referendae sunt illae apud Theopompum, Strabonem et Appianum mentiones abruptae, vel cui bello ac occasioni tribuendae. Verum, si quae chronicon Vincentianum hoc sub obtutu, quoad rem principalem vestigia indicat, attento animo persequimur, nec non res ab antiquis scriptoribus memoriae proditas cum illis assidue conferamus, haud inepte unam e pluribus historiae antiquae lacunis expleri posse existimamus [1].

Porro Martinus Bielski in suo Chronico mundi (f. 296.) hanc de Pannoniis dat notitiam: »Sylla, Romani exercitus dux, eos (Pannonios) in potestatem redigere conabatur, at ab illis superatus.« Quae hucusque ab eruditis ignoratur, quamvis, veram esse, facile sit probare. Namque Appianus (Illyr. c. 4): »Pannoniorum autem, dicit, post Cornelii expeditionem adversus eos, infelici exitu susceptam, tantus terror invasit Italos omnes, ut

[1]) De hoc vide *Wstęp krytyczny* p. 238 sqq.

per longum tempus insequentes consules, non ausi sunt contra Paeonas ducere exercitum. Schweighäuser, vir eruditione clarus, aperte fatetur, nescire se, quis sit ille Cornelius, coniicitque pro Cornelio, *Portium* forte Catonem hic legi debere; quam coniecturam etiamsi postea evertere conatur, tamen codices manuscriptos Appiani erroris arguit. At certe alia, necesse erat, sentiret, si noverit, quae Bielski, procul dubio e quodam deperditorum auctorum protulit. Illum enim Cornelium non alium, nisi C. Syllam esse, manifestum est, cuius expeditionem contra has gentes idem Appianus etiam alio loco (De bell. Mithr. c. 55) innuit. Et reapse hanc opinionem illud firmat, quod contra assertionem, ac si Cato bellum hoc cum Pannoniis gessisset, pugnat: scilicet post Syllam longo tempore neminem Romanorum expeditionem in Pannonios parasse.

Fragmenta Trogi in lingua polonica asservata, nec non loca ex auctoribus Graecis in annotationibus a me allata, in linguam latinam vertit amicus meus, Stanislaus Pilat, Philosophiae Doctor, cuius profundiores scientiae philologicae in condendo hocce opusculo maximo mihi auxilio fuere, eique ad gratias publice referendas lubenti animo et grato corde me offero.

Ceterum huic ego fragmentorum collectioni, qualis quantaque sit, vel ideo multum tribuo, quod

allatis indiciis, ubi et quo tempore deperdita Pompeii Trogi opera extiterint, viri eruditi ad codices olim in Polonia scriptos attentiores reddantur, nec non illis, quibus facilior ad hosce codices manuscriptos aditus patet, diligentius eos scrutandi, resque antiquitus gestas novis argumentis locupletandi, locus aperiatur.

Scribebam Leopoli 18 mensis Iulii anno 1853.

A. B.

# NOTITIA LITERARIA DE POMPEIO TROGO.

De hoc rerum gestarum scriptore vel rarissimae notitiae ad nos pervenerunt. Iustinus memorat, Trogum postremo operis sui libro prodidisse memoriae de Vocontiis se esse oriundum. Fuisse autem Vocontios, accepimus, incolas Galliae Narbonensis, oram inter fluvios Isaram et Druentiam, hodie *Departement des Basses-Alpes* dictam habitantes, originemque a Celtarum stirpe trahentes. Hi bello Sertoriano, dum Cn. Pompeius exercitum per Galliam in Hispaniam duceret, arma contra Romanos capere ausi, a M. Fonteio, tum Galliae Propraetore, victi sunt: quo tempore Trogus, historici nostri avus, a conciviibus suis dissentiens, postquam amicum se populi Romani praestiterit, civis Romani iura nactus, ac in gentem Pompeianam, tum temporis illustrissimam, receptus, Cneii Pompeii nomen sumpsit. Huic duo erant filii, quorum alter Pompeii expeditionibus in Asia interfuit, ac in bello cum Mithridate Gallorum equitum turmas duxit; alter, historici nostri pater, ex partibus Caesaris stetit, quo duce militiae nomen dedit, epistolarumque et legationum, simul et annuli curam habuit. Unde colligi potest, eum liberaliter ac ingenue educatum fuisse, paribusque praeceptis ac institutis filium imbuisse, cui, ut Niebuhr coniicit, nomen quoque Cneii fuerat.

At paulo ante Romani accuratiori studio ac arte in historia versari coeperunt. Huius primum in lingua latina specimen Sallustius dedit; quem dein Livius secutus, Romanas res gestas vasto opere complexus est. Contemporaneus huic Trogus orbis terrarum historiam lingua Romana describendam statuit, quatenus rerum gestarum summa uno quasi vinculo connecti valeat. Iam vero opus eius, quoad rationem struendi, commendabat admodum et ipsa consilii sagacitas et formae praestantia; neque aliud tractandae orbis terrarum historiae exemplar nobis ab antiquitate porrectum habemus. Conciliabant quoque magnam auctoritatem operi fontium, nunc maximam partem penitus deperditorum, abundantia et delectus, quos nuper A. H. L. Heeren in Tractatu suo indicare solerti ingenii acumine enixus est. Quod vero ipsam rationem historiae delineandae attinet, Trogus, licet patriae amor ex toto opere eius loquatur, tamen historiae totius orbis focum nequaquam in patriis rebus gestis quaerendum existmavit. Etenim Romanorum orbis imperium vix adhuc tenera aetate in historia mundi gaudebat, quo fundamento pro rebus gestis terrarum sumpto, necesse esset pulcherimam rerum antiquitus gestarum partem episodiis, absque vinculo et nexu interno, absolvere. Quamobrem alibi animum vertere ipsa res suadebat. Macedonia, quae, iam Herodoti tempore principum suorum fama ac ingenio clara, Philippo regnante eo celebritatis crevit, ut a Theopompo pro basi quodammodo historiae orbis sumpta fuerit, ab hoc inde tempore illustrem rerum fatorumque seriem percurrit, fines suos usque ad ultimas terrae regiones protulit, orbis universi potentiam dextra Alexandri regi moverique novit, atque gentes nationesque in ditionem suam redac-

tas humanitatis et cultus graeci vinculo sibi iunctas vidit, tandem ipsa corruens in multa regna dilapsa est, quorum splendor fere ante ipsius Trogi oculos iam iam extinguebatur; Macedonia inquam, imaginem exhibuit rei integrae, absolutae, omnique historici attentione dignae. Hanc itaque Trogus pro foco rerum gestarum orbis sumpsit, operique suo aeque ac Theopompus, Historiarum Philippicarum nomen esse voluit, hac potissimum ratione ductus, quod Philippi nomen quatuor huius regni regibus fuit, quorum duo et rebus gestis et regni fama florebant, nomenque eorum cum Macedoniae gloria eiusque interritu arctissime erat coniuctum. Igitur facta operis partitione in 44 libros, primis sex res antiquitus gestas complexus est earum potissimum gentium, quibus postea cum Macedonia quidquam commercii aut negotii fuerat; dein vero filum Macedonicae historiae retinens, per triginta et aliquot libros res gestas orbis, tanquam gentis unius, narratione perpetua exposuit, singulos libros aptis episodiis claudens. Ultimis tandem libris ad Occidentem transgressus, Iberorum res antiquissimas ac pro historia maximi momenti exposuit, operique suo, Hispania in Romanorum potestatem per Octavianum Augustum redacta, finem statuit.

Iam vero tempus, quo Trogus opus hocce scribendum susceperat, stricte indicari nequit. Si opinioni verosimili locum des, Livium, qui opus suum Drusi morte absolvit, haud serius illud ac circa eundem annum (10 ante Chr. natum), quo mors Drusi subsecuta est, terminasse, fas est colligere, Trogum certe aliquot annis ante Drusi mortem operi suo se accinxisse: namque libro XXXII e rebus gestis Romanorum quaedam descripserat, quae Livius in libris suis, ad hoc usque tempus paratis, nondum

attigerat [1]). Perfecit autem opus integrum Trogus anno 51 regni Octaviani Augusti, vel nono post Christum natum, teste serioris quidem seculi, sed fide digno, Matthaei Westmonasteriensi.

Praeter Historias Philippicas Trogus librum quoque de animalibus, ut refert Charisius, scripsit. Et is quidem liber temporum iniuria periit. E fragmentis autem a Plinio allatis apparet, Trogum in componendo eo Aristotelem secutum fuisse, cuius loca nonnulla ad verbum fere in fragmentis Trogi occurrunt.

Idem auctor apud concives suos magno in honore habebatur, ut Plinius eum auctorem severissimum appellare, Vopiscus autem inter disertissimos viros referre minime haesitaverint. Cuius labores literarios nostris etiam diebus eruditus A. H. L. Heeren diiudicans, eundem hunc inter antiquos historiarum scriptores locum tenere affirmat, quem Gibbo inter historicos nostrae aetatis sibi vindicavit; Cl. B. G. Niebuhr autem, qui historiam pro rostris universitatis Bonnensis docuerat, nil rei magis consentaneum ratus est, quam in exponendis rebus gestis orbis antiqui methodo a Trogo inventa uti.

Historias Philippicas in compendium redegit Iustinus circa annum 160 post Christum natum, atque hoc ad nostra usque tempora pervenit. Qui labor etsi utilitate non careat, tamen auctorem demonstrat indole expertem, imaginem rerum strictim colligendi, quin lineamenta vera contorqueat. Ex hac enim epitome non solum omnes regionum descriptiones, quibus Trogi opus abundabat, Iustinus eiecerat, verum etiam, ut Niebuhr haud inepte observat, omnia fere, quae non erant vulgaria ac altius as-

[1]) Vide annotat. pag. 69.

surgebant, eliminanda esse censebat. Praeter hanc epitomen, ad nostram quoque memoriam sic dicti Prologi librorum operis Trogiani pervenerunt, ignoti et auctoris et temporis, quo sunt concinnati, lingua latina perquam barbara. Horum codices manuscripti rarius, quam Iustini operis reperiuntur, suntque vel ideo maioris momenti, quod ex iis clare elucet ipsa ratio Trogianae methodi, quae in epitome a Iustino facta valde obumbrata ac prope deleta est.

Quo tempore autem Historiae Philippicae perierint, vulgo ignoratur. Eruditissimus Fabricius asserit quidem id pluribus seculis ante evenisse, eamque opinionem usque ad diem hodiernam multi amplectuntur. Non abs re tamen erit etiam haec perpendere: ex locis Trogi in diversis auctoribus laudatis, quae in hoc opusculo collecta lectoris obtutui subiiciuntur, adparet, ipsum Trogi opus seculo X in bibliotheca Fuldensi lectum fuisse a Luitprando, qui ex eodem notitiam, nec in libris Iustini neque in Prologis memoratam, adfert: dein seculo XII Ioanni Sarisberiensi in Anglia opus illud notum fuisse, qui inde varia excerpserat; item Matthaeo Cholewa et Vincentio Cadlubonis in Polonia: posthaec exeunte seculo XIII ac ineunte XIV notitiam Trogi prodere Iacobum de Cessolis, ordinis Praedicatorum, eodemque tempore Matthaeum Westmonasteriensem in Anglia opus hoc probe nosse: denique in Polonia seculo XV Ioannem Długossium et XVI Martinum Bielski ex illo varia, quae in opere Iustini frustra quaeruntur, exscripsisse.

Haec igitur vestigia aperte adversantur iis, quae eruditissimus Fabricius asserit. Ex iis enim palam fit, opus Trogi mature iam a nationibus nostri aevi quaesitum aesti-

matumque fuisse. Nec mirum, si auctor hic hominibus nostrae aetatis magis congrueret, eorumque studiis, magis quam Livius aut quicumque alius historicus Romanus, arrideret: namque ille solus res gestas extraneorum gentium seu barbarorum, ut apud Romanos eas appellare mos fuit, in opero suo narrabat, atque hi ob necessitudinem propiorem, quae inter eos eorumque posteritatem intercedebat, nationibus recentioris aevi plus, quam Romanorum res gestae, cordi erant, maiusque cognoscendi studium excitabant. Equidem verum est, determinari non posse, quam late patuerint codices illi, e quibus memorati supra scriptores Trogi verba citabant; attamen cum certitudine affirmari debet, opus Trogi, si non integrum, at certe singulos eiusdem libros, aut alia quaedam praeter Iustini epitomen excerpta [1]) in Europa medio aevo, in Polonia autem usque ad seculum XVII extitisse.

---

[1]) In catalogo librorum, pro monasterio Sangalensi adhuc sub finem seculi IX abbate Hartmoto comparatorum, legimus inter alia titulum: *Excerpta de Pompeio in volumine uno* (Pertz Mon. Germ. II. 70.); quae ex Pompeio Trogo excerpta alia fuisse videntur ac epitome Iustini: huius enim nomen in codicibus manuscriptis vulgo praemitti solet.

# POMPEII TROGI
# FRAGMENTA.

## HISTORIAE PHILIPPICAE

### LIBER I.

PRAEFATIO.

Primo volumine continentur haec. Imperium Assyriorum a Nino rege ad Sardanapalum: post quem translatum est per Arbactum ad Medos, usque ad ultimum regem Astyagen. Is a nepote suo Cyro pulsus regno: et Persae regno potiti. Ut Croeso, Lydiae regi, bellum intulit Cyrus, victumque cepit. Hic in excessu dicti Aeolicarum et Ionicarum urbium situs; originesque Lydorum et in Italia Tuscorum. Post Cyrum filius Cambyses Aegyptum domuit. Repetitae Aegypti origines (urbium). Extincto Cambyse, Darius occisis Magis regnum Persicum accepit, captaque Babylone bella Scythica molitus est.

1.

Vir muliere corruptior Sardanapalus. Hunc namque Arbactus, praefectus eius, cum inter scortorum greges, muliebri habitu et lascivia, pensa virginibus vidisset dispensantem: indignum esse, inquit, viros ei parere, qui se feminam esse malit, quam virum. Ergo a suis ei bellum infertur, qui victus, exstructa pyra, et se et divitias suas in incedium mittit: hoc solo imitatus virum. Arbactus

vero imperio potitur: laude potius quam vituperio dignior, qui non principandi appetiit potestatem; sed miserabilem patriae ruinam, miserantibus humeris potentius suffulsit. *Vicent. Cadlubonis I. 72.*

2.

Quo (Balthasare) interfecto a Dario rege Medorum, qui Cyri, regis Persarum, avunculus fuit, et Cyro Persa, quae duo regna Esaias ascensorem bigae: cameli et asini vocat, destructum esse imperium Chaldaeorum. Quod quidem et Xenophon in Cyri maioris scribit infantia, et Pompeius Trogus, et multi alii, qui barbaras scripsere historias. *Hieronym. in Daniel. c. 5.*

3.

Scythis pecuniarum interventu regem ex servo creaturis, regina ipsorum Tomyris matronarum primas ad se corrogat, cum quibus suae viduitatis quaerulosae deflens angustias, non tam suam quam illarum sibi molestam ait depressionem, non tam suae deiectionis laedi periculo, quam servili elatione perurgeri. Petit, non ut suarum adeo miseriarum, quam sui, quam liberorum, quam suae illas libertatis misereat. Inter quas aetate quaedam grandaeva: In re, inquit, tam lacrymosa, consilio opus est non lacrymis, quia nec flammis flamma extinguitur, nec moerore moeror exuitur.

Iubet ergo abiectos ancillarum filios purpureis adornari paludamentis, et currum, quo reges vectari consueverant, conscendere; faleratissimis alios asturconibus insidere; adolescentes vero ingenuos, ac divae formae vir-

gines sordidis loramentis instar boum currui connecti. Reginam quoque cum parvulo filio, et se ipsas, funereis deformatas loramentis, ad eundem currum eodem pacto applicant. Sicque verberunculis ad trahendum eas urgentibus in concionem procedunt. Ubi coram magistratu provolutae, eos, qui ad hoc enormitatis eas impulerant, insimulant: non iniuriarum, sed laesae maiestatis iudicium petunt; nec vero suam, sed sacri senatus, sed totius reipublicae hanc esse quaerelam; non singulam unius laesionem, sed commune universitatis incommodum; non levem sane, non brevem, sed mortalem huius vulneris languorem, cuius auctores non servos, sed ipsos servorum dominos arguunt et convincunt: qui suam et suorum generositatem non modo venalem servis exponunt, sed ipso venalitatis veneno ipsam libertatem extinguunt.

Tota igitur movetur et constrepit concio, ut servus ille non iam regno, sed ultimo expetatur supplicio; reginae autem filius, licet paene infantulus, rex constituitur. Extunc solemne fuit apud Scythas feminas concionibus acciri. *Vincent. Cadl. I. 115.*

## 4.

Cyrus rex Persarum post grande intervallum, et paene post sexcentorum triginta annorum tempora, Pompeio Trogo testante, Getarum reginae Tomyri, sibi exitiale intulit bellum. Qui elatus ex Asiae victoria, Getas nititur subiugare, in quibus, ut diximus, regnaverat Tomyris. Quae cum ab Araxe amne Cyri arcere potuisset accessus, transire tamen permisit, eligens armis eum vincere, quam locorum beneficio submovere. Quod et fa-

ctum est: et veniente Cyro prima cessit fortuna Parthis tanta, ut et filium Tomyris et plurimum exercitum trucidarent; sed iterato Marte, Getae cum sua regina Parthos devictos superant atque prosternunt, opimamque praedam de eis auferunt: ibique primum *Getarum* [1]) gens serica vidit tentoria. *Iornand. Get. 10.*

---

## LIBER II.

### PROLOGUS.

Secundo volumine continentur haec. Scythiae et Ponti situs originesque. Scythiae res usque ad bellum, quo est inde pulsus Darius: qui post hanc fugam Graeciae bellum intulit per Datin et *Artafernen* [2]), quod soli Athenienses sustinuere. Hinc origines Athenarum repetitae et reges usque ad Pisistrati tyrannidem: qua extincta Marathone vicere Persas. Ut mortuo Dario, filius eius Xerxes bellum Graeciae intulit: ac repetitae origines Thessaliae, expulsoque Graecia Xerxe, bellum ab Atheniensibus translatum in Asiam, usque ad Xerxis interitum.

### 5.

Maximas illas Scythicas gentes, formidatasque cunctis maioribus, Alexandro quoque illi magno, sicut Pompeius Corneliusque testati sunt, evitatas. *Orosius Histor. VII. 34.*

*Cf. eiusdem Hist. I. 16.* Getae illi qui et nunc Gothi, quos Alexander evitandos putavit, Pyrrhus exhorruit, Caesar etiam declinavit.

---

[1]) Gothorum

[2]) Tisafernem

## 6.

Hic ergo *Getis* [1]) morantibus, Vesosis Aegyptiorum rex in bellum irruit: quibus tunc Tanausis rex erat. Quo proelio ad Phasim fluvium (a quo Phasides aves exortae in toto mundo epulis potentum exuberant) Tanausis, *Getarum* [2]) rex, Vesosi Aegyptiorum occurit, cumque graviter debellans, in Aegyptum usque persecutus est: et nisi Nili amnis intransmeabilis obstitissent fluenta, vel munitiones, quas dudum sibi ob incursiones Aethiopum Vesosis fieri praecepit, ibi in eius eum patria extinxisset. Sed dum eum semper ibi positum non valuisset laedere, revertens paene omnem Asiam subiugavit, et sibi tunc car*um* amic*um* Sorn*um*, reg*em* [3]) Medorum, ad persolvendum tributum subdit*um* fecit. Ex cuius exercitu victores tunc nonnulli provincias subditas contuentes, et in omni fertilitate pollentes, deserto suorum agmine, sponte in Asiae partibus resederunt. Ex quorum nomine vel genere Trogus Pompeius Parthorum dicit extitisse prosapiam. Unde etiam hodie lingua Scythica fugaces, quod est Parthi, dicuntur: suoque generi respondentes, inter omnes paene Asiae nationes soli sagittarii sunt, et acerrimi bellatores. Hunc ergo Tanausim, regem *Getarum* [4]), mortuum inter numina sui populi coluerunt. *Iornand. Get. 6.*

## 7.

Scythae tertia expeditione Asiana, cum annis octo

---

[1]) Gothis
[2]) Gothorum
[3]) charo amico Sorno rege
[4]) Gothorum

a coniugibus fuissent, servili bello domi propulsantur. Nam coniuges eorum longa praestolatione fessae, servis pecorariis nubunt, qui reversos post victoriam dominos, quasi alienos prohibent; sed supplicia crucibus luunt. Mulieres quoque male sibi consciae, quaedam ferro, quaedam suspendio vitam finiunt: ut hos vel illas nec poena dissimiles nec dispares fecerit sceleris immanitas. *Vincent. Cadl. I. 132.*

## 8.

Dehinc Darius rex Persarum, Hystaspis filius, Antiri regis *Getarum* [1]) filiam in matrimonium expostulavit, rogans pariter atque deterrens, nisi suam peragerent voluntatem. Cuius affinitatem *Getae* [2]) spernentes, legationem eius frustrarunt. Qui repulsus furore inflammatus est, et septingenta millia armatorum contra ipsos produxit exercitum, verecundiam suam malo publico vindicare contendens. Navibusque paene a Chalcedonia usque ad Byzantium, adinstar pontium, tabulatis *atque* [3]) consertis, petit Thraciam et Moesiam. Ponteque rursus in Danubio pari modo constructo, duobus mensibus crebris fatigatus *itineribus* [4]) octo millia perdidit armatorum; timensque ne pons Danubii ab eius adversariis occuparetur, celeri fuga in Thraciam repedavit: nec Moesiae solum credens sibi tutum fore aliquantum remorandi. *Iornand. Get. c. 10.*

---

[1]) Gothorum
[2]) Gothi
[3]) aeque
[4]) intaphis

9.

Dorienses contra Athenienses proeliaturi, oraculum consulunt, quibus respondetur: »Si hostium occiderint regem, ipsi vincentur.« Quo cognito rex Atheniensium, Codrus, permutat habitum, pannosus castra hostium ingreditur, militem ex industria falce vulnerat, et a vulnerato occiditur. Hostes, corpore cognito, sine proelio discedunt. Sic virtus regis propriae discrimine mortis patriae salutem mercatur. *Vicent. Cadl. I. 176.*

10.

*Xerxes, król Perski, ważył się tego, iż chciał ten kościoł (Delficki) złupić: spadły z góry dwa kamienia na jego wojsko, strzały ogniste, grom, trzaskanie, takie straszliwe plagi na nie powstały, iż razem cztery tysiące ludzi zabiły, Trogus pisze, musieli z strachem odciągnąć.* Marcin Bielski, kronika świata. Kraków 1564 list 274.

Xerxes, Persarum rex, audacia adeo crevit, ut templum illud (Delphicum) spoliandum statuit. At deorsum duo saxa in exercitum eius delapsa sunt, ictusque fulminei, tonitrua, fragor, ac eiusmodi tempestates coortae sunt, ut quatuor millia hominum simul occisi fuerint, reliqui vero, ait Trogus, terrore perculsi secesserunt.

---

## LIBER III.

PRAEFATIO.

Tertio volumine continentur haec. Ut mortuo Xerxe, filius Artaxerxes ultus interfectorem patris Artabanum, bellum cum defectore Aegypti habuit: primoque dux eius Achaemenes vi-

ctus est; iterum per *Megabazum* [1]) Aegyptus recepta. Ut Graecis cum rege pacificatis, bella inter ipsos orta sint. Inde repetitae Peloponnensium origines: ut ab Heraclidis (Herculis posteris) Dorico populo sit occupata. Deinde bella Argolica et Messeniaca: coalitique Sicyoniae et Corinthi tyranni. Bellum Crissaeum: et quod Athenienses primo cum Boeotis, dein cum Peloponnensiis gesserunt.

## II.

Narrat Trogus Pompeius de Lycurgo quondam nobili milite, qui civitatem quandam cum populo iurare induxerat, ad servandes leges quasdam iustas et utiles atque populo congrues, (quas ipse condiderat, sed conditorem earum Apollinem Delphicum finxit esse;) donec ab ipso Apolline Delphico reportaret responsum. Reversus, ad Cretam insulam ivit, ibique perpetuum exilium egit, ut praedictae leges perpetuo observarentur. Moriturus autem ossa sua in mare proiici mandavit, et spargi iussit, ne forte, si ossa eius ad civitatem adiuratam fuissent delata, cives a iuramento se liberos et absolutus esse credentes, legum observantiam violarent. Praedictas autem leges, quia iustae erant et utiles, hic subscripsimus.

Prima lege populum in obsequium principum, et principes in custodiam populi atque ad coërtionem impiorum informat.

Secunda omnibus parsimoniam persuadet et frugalitatem, credens militiam laudabilius fieri modestia, quam crapula.

Tertia iussit emi singula non pecunia, sed mercium compensatione opportuna.

---

[1]) Agabazum

Quarta aurum et argentum, velut omnium vitiorum materiam instituit.

Quinta administrationem reipublicae per ordines divisit: regibus potestatem bellorum, magistratibus iudicia et annuas sanctiones, senatui custodiam legum, populo creandi vel eligendi, quos vellet magistratus, potestatem permisit.

Sexta fundos omnium aequaliter divisit, ut aequali patrimonio nullus alio potentior redderetur.

Septima iussit omnes convivari publice, ne alicui divitiae in occulto sint causa luxuriae.

Octava iuvenibus sola veste uti toto anno permisit.

Nona pueros puberes in agrum, non in forum, deduci iussit, ut primos annos ducerent in opere, non in ludo et levitate.

Decima statuit virgines sine dote nubere.

Undecima, ut uxores eligerentur non pecuniae, iussit.

Duodecima maximum honorem non divitum, sed pro gradu aetatis senum esse voluit. Omne autem, quod quacumque lege sancivit, ipse pro exemplo aliis primus servavit. *Iac. de Cessol. Tract. de morib. et off. Cod. ms. Bibl. Ossol. Nr. 1. f. 248.*

## 12.

Spartani cum in obsidione hostium annis decem damna paterentur, et fecunditatem uxorum viris absentibus nullam esse *viderent,* iuvenes remittunt eisque omnium feminarum permittunt promiscuos concubitus, ne respublica praesidii successione orbaretur. Ex his nati Partheniae vocantur. Tanti apud istos odium hostile, tanti amor patriae, tanti fuit

iurisiurandi religio! Exsecratione namque sese obstrinxerant nolle reverti, donec urbem hostium expugnassent. *Vincent. Cadl. I. 133.*

13.

Lex vero Romanorum in duodecim tabulis *aeneis* [1]) scripta erat, ut refert Trogus Pompeius libro III de Lycurgo; quae omnia significant legis durationem et stabilitatem perpetuam. *Cod. ms. Bibl. Ossol. Nr. 160. f. 482.*

---

## LIBER IV.

PROLOGUS.

Quarto volumine continentur res Siculae, ab ultima origine usque ad deletam Syracusis Atheniensium classem.

---

## LIBER V.

PROLOGUS.

Quinto volumine continentur haec. Bellum inter Athenienses et Lacedaemonios, quod *Deceleicum* vocatur, usque ad captas Athenas. Ut expulsi sunt Athenis triginta tyranni. Bellum quod Lacedaemonii in Asia cum Artaxerxe gesserunt, propter *Cyrum* initum. Hinc repetitum in excessu Cyri cum fratre bellum et Graecorum, qui sub eo militaverant.

---

[1]) eburneis

## LIBER VI.

Sexto volumine continentur haec. Bellum Lacedaemoniorum gestum in Asia cum Persicis praefectis, ducibus belli Dercullide et Agesilao, usque ad proelium navale factum Cnido: quo victis illis, Athenienses repetiere imperium. Dein bellum Corinthiacum et bellum Boeotium: quo Leuctris et Mantineae victi Spartani, amisere imperium. In Thessalia deinde Iasonis et post illum Alexandri Phaeraei coalitum atque extinctum imperium. Tum sociale bellum gestum adversus Athenienses a Chiis et Rhodiis et Byzantiis. Transitus hinc ad res Macedonicas.

### 14.

Trogus Pompeius in libro VI. Inde Scepsim petit, quo se Medias interfecta socru (*Mania*) contulerat. Is ab *Dercullide* [1]) petito colloquio.... *Priscianus. VI. 11.* 63.

### 15.

Carpathos enim insula est Aegypti, vel, ut Pompeius dicit, insula Rhodiorum. *Philargyrius in Virgil., Georg., IV, 387.*

---

## LIBER VII.

Septimo volumine continentur origines Macedonicae, regesque a conditore gentis Carano, usque ad Magnum Philippum. Ipsius Philippi res gestae, usque ad captam urbem Mothonen. Additae in excessu Illyriorum et Paeonum origines.

---

[1]) Herculide

16.

Illyrici et Thraces, quotidiano exercitio indurati, gloria bellicae laudis finitimos Macedones terrebant, qui proelio pulsi, rege suo, regis defuncti filio, in cunis prolato, et pone aciem posito, acrius certamen repetiere: tanquam ideo victi fuissent, quod bellantibus defuerant auspicia regis sui; victores futuri vel propterea, quod ex superstitione vel fide animum vincendi ceperant. *Joann. Saresber. Polycr. VI. 24.*

---

## LIBER VIII.

PROLOGUS.

Octavo volumine continentur res gestae Philippi Magni post captam urbem Mothonen a principio belli Phocensis, quod sacrum vocant, usque ad finem eius: interiectumque huic bellum, quod Philippus cum Chalcidicis urbibus gessit, quarum clarissimam delevit Olynthon. Ut Illyrici reges ab eo victi sunt, et Thracia atque Thessalia subactae: et rex Epiro datus Alexander, eiecto Aryba; et frustra Perinthos oppugnata.

---

## LIBER IX.

PROLOGUS.

Nono volumine continentur haec. Ut Philippus a Perintho summotus. Byzantii origines: a cuius obsidione summotus Philippus Scythiae bellum intulit. Repetitae inde Scythicae res ab his temporibus, in quibus illa prius finierant, usque ad Philippi bellum, quod cum Athea, Scythiae rege, gessit. Unde reversus Greciae bellum intulit, victorque Chaeroneae, cum bella Persica moliretur, praemissa classe cum ducibus,

a Pausania occupatis angustiis, nuptiarum filiae die occisus est, priusquam bella Persica inchoaret. Repetitae res inde Persicae a Dario Notho, cui successit filius Artaxerxes, cognomine Mnemon: qui post fratrem Cyrum victum pulsaque Cnido per Canona classe Lacedaemoniorum, bellum cum Evagora, rege Cyprio, gessit: originesque Cypri repetitae.

17.

Sic Philippus inter tacitam laetitiam et dolorem hostium temperavit, ut neque apud suos victor exultasse, neque victos insultasse videretur. *Vincent. Cadl. I. 104.*

---

## LIBER X.

PROLOGUS.

Decimo volumine continentur Persicae res. Ut Artaxerxes Mnemon pacificatus cum Evagora, rege Cyprio, bellum Aegyptium in urbe Ace compararit: ipse in Cadusiis victor, defectores in Asia purpuratos suos persecutus, primum *Datamen* [1]) praefectum (*Paphlagoniae*), Paphlagonon origo repetita; dein praefectum Hellesponti Ariobarzanen; deinde in Syria praefectum Armeniae Orontem: omnibusque victis decesserit, filio successore Ocho. Is deinde occisis optimatibus Sidona cepit: Aegypto bellum ter intulit. Ut post mortem Ochi regnarit Arses: dein Darius, qui cum Alexandro, Macedonum rege, bello conflixit.

---

## LIBER XI.

PROLOGUS.

Undecimo volumine continentur res gestae Alexandri Magni usque ad interitum regis Persarum Darii. Dictaeque in excessu origines et reges Cariae.

---

[1]) Dopanem

## LIBER XII.

### PRAEFATIO.

Duodecimo volumine continentur Alexandri Magni bella Bactriana et Indica usque ad interitum eius. Dictaeque in excessu res a praefecto eius Antipatro in Graecia gestae, et ab Archidamo, rege Lacedaemoniorum, Molossoque Alexandro in Italia, quorum ibi est uterque cum exercitu deletus. Additae his origines Italicae Apulorum, Lucanorum, Samnitum, Sabinorum: et ut Zopyrion in Ponto cum exercitu periit.

### 18.

Magnus Alexander cum rege Poro congreditur, vincit. Porus capitur. Qui victum se adeo doluit, ut cum veniam ab hoste accepisset, nec cibum sumere voluit, nec vulnere curari passus est. Quem Alexander ob virtutis honorem in regnum incolumem remisit: decet enim, ut *vir* fortis et animositate vigeat, et pietate non langueat. *Vincent. Cadl. II. 81.*

*Cf. eiusdem I. 177.* Ecce, inquiunt, ecce Alexandri Bucephalus, quem rex Indorum Porus occidit.

### 19.

Non secus ac Alexander, qui Ambrorum et Sugambrorum octoginta millia peditum et saxaginta millia equitum confecit, qui urbis murum primus conscendit, et vacuam aestimans solus insiluit, hostibus ambitur, solus contra tot millia praeliatur: dictu incredibile! ut solus tot legionum turmas ceciderit et fugarit. Hic ubi se obrui multitudine videt, trunco prope murum stanti se applicat, cuius praesidio tectus tam diu turmas irruentes

sustinuit, donec periculo cognito amici ad eum desiliunt. Tandem deiectis muris omnis exercitus subvenit; tunc sagitta sub mamma traiectus, cum sanguinis fluxu deficeret, genu flexo tam diu praeliatus est, donec vulneris auctorem occidit. Et quanto vincendis asperior, tanto victis fuit clementior. *Vincent. Cadl. I. 210.*

## 20.

Ex Ambrorum et Sugambrorum illa caede omnes etiam permansuetae bestiae humanum sanguinem sitire didicerunt, ut non modo latratiles, quorum natura sua sponte fera est, sed etiam cati, surricibus omissis, in homines ultro procurrerent. Ex eodem quoque eorundem cruore, fama est, ad talparum quantitatem formicas ebullisse, quae domiciliorum penetralibus infusae, non minorem illis cladem inflixere, quam Alexander. Quorum vix tandem pauci herbae cuiusdam beneficio servantur, quae Alexandro per somnium contra toxicatas Ambigeri sagittas fuerat monstrata. Hanc istis Alexander contra formicas ostendit. *Vincent. Cadl. I. 246.*

---

## LIBER XIII.

### PROLOGUS.

Tertio decimo volumine continentur haec. Ut mortuo Alexandro optimates castrorum eius, provinciarum imperia sint partiti; ut veterani, qui ab eodem lecti erant in colonias, moliti, relictis illis, in Graeciam redire, a Pithone sint deleti. Bellum *Lamiacum* [1]), quod Antipater in Graecia gessit. Bellum, quo

[1]) Lamsacum

Perdiccas regem Ariarathem occidit; et *(hoc, quo)* occisus est. Bellum, quo Eumenes Neoptolemum et Craterum occidit. Additae in excessu origines regesque Cyrenarum.

---

## LIBER XIV.

PROLOGUS.

Quarto decimo volumine continentur haec. Bellum inter Antigonum et Eumenem gestum: quem ut Cappadocia expulit Antigonus, sic Phrygia minore Aridaeum et Cliton *(Lydia. Deinde ut ab eo Clitus)* victus in Hellesponto navali bello. Repetitum rursus bellum ab Eumene per Argyraspidas: quo victus ab Antigono interiit. Ut in Macedonia Cassander, victo Polyperchonte receptaque a defectore (Nicanore) Munychia, matrem Alexandri, Olympiada, Pydnae obsessam et *captam*, ad favorem populi interfecit.

### 21.

Antigonus Alexandri Argyraspidis perfidiae munus e vestigio rependit; qui cum sui duciś, Eumenis, contemnunt imperia, ab Antigono superantur: non solum gloriam tot bellorum cum coniugibus et liberis, sed et praemia longe partae militiae perdiderunt, quae ut saltem perfidia repararent, ducem vinctum Antigono exponunt, pacta omnium suorum restitutione. Hic protensa cum catenis manu: »Cernitis, inquit, milites ornamenta ducis vestri, quae mihi non hostium quisquam imposuit. Vos me ex victore victum, ex imperatore fecistis captivum! Dii periuriorum vindices dent vobis tales exitus, quales vos vestris ducibus dedistis: devorent vos arma vestra, quibus plures vestros, quam hostium duces absumpsistis. Sed miseros non

decent convitia.» Vinctusque coepit ad Antigoni castra praecedere: quem Antigonus illaesum custodibus assignavit, transactioni fidem suam non amputat, omnibus quidem omnia restituit, sed cum restitutis *rebus* illos orbis domitores suis sub hasta distribuit, perfidiae cauterio frontibus impresso. *Vincent. Cadl. I. 260.*

---

## LIBER XV.

PROLOGUS.

Quinto decimo volumine continentur haec. Ut Demetrius, Antigoni filius, Gazae victus est a Ptolemeo. Ut Cassander in Macedonia filium Alexandri regis interfecit, ac alterum Polyperchontes. Ut Ptolemaeum vicit classe Demetrius, idemque ab obsidione Rhodi summotus est. Repetita in excessu origo Rhodiorum: unde digressus Demetrius liberavit a Cassandro Graeciam. Dein pater eius Antigonus bellum cum Lysimacho et Seleuco habuit. Repetitae Seleuci res, et regis Indiae Sandrocotti. Ut victus bello Antigonus interiit, reliquiaeque imperii sunt a filio collectae. Cleonymi deinde Spartani res gestae Corcyrae et (*in*) Illyrico et in Italia: (qui) ablata Corcyra, rex Cassander interiit.

### 22.

*Seleukus* [1]) *w Kolchach królując zwycięztwo znaczne odniósł z nieprzyjaciela. Kolchowie zawdzięczając prace i trudy królowi, oddali za*

Seleucus Colchorum rex ingentem de hostibus victoriam reportavit. Huius labores atque aerumnas Colchi grato animo agnoscentes,

---

[1]) Salauces

*upominek* statuam Honoris, *ulanego z śrebra, tylko złotą rękę mającego, w której obelisek złoty trzymał, na obelisku różne korony wisiały. Król wdzięcznie przyjął, wszakże alludując do ręki i do złotego obelisku rzekł*: Si totus hic Honor suae manus naturam induisset, principem locum in nostro thesauro habuisset. Trogus. *Cod. ms. Bibl. Ossol.* 336, p. 218.

erexerunt regi statuam argenteam Honoris, qui aurea instructus manu, obeliscum, in quo variae coronae erant suspensae, aureum tenebat. Quod rex gratum acceptumque habuit; at manum et obeliscum aureum significans, dixit: Si totus hic Honor suae manus naturam induisset, principem locum in nostro thesauro habuisset.

---

## LIBER XVI.

PROLOGUS.

Sexto decimo volumine continentur haec. Ut mortuo Cassandro ortisque inter filios eius certaminibus, Demetrius adiutor alteri adhibitus, occiso eo Macedoniae regnum tenuit: quo mox eiectus a Pyrrho, Epiri rege, translatis in Asiam bellis, captus a Seleuco decessit. Ut Ptolemaeus nuncupato successore filio Philadelpho decessit. Ut Lysimachus in Ponto captus ac missus ab Dromichaete, rursus in Asia civitates, quae sub Demetrio fuerant, et in Ponto Heracleam occuparit. Repetitae inde Bithyniae ac Heracleoticae origines, tyrannique Heracleae Clearchus et Satyrus et Dionysius: quorum filiis interfectis, Lysimachus occupavit urbem.

---

## LIBER XVII.

PROLOGUS.

Septimo decimo volumine continentur haec. Ut Lysimachus occiso filio Agathocle per novercam Arisinoën bellum cum rege

Seleuco habuit, quo victus interiit: ultimumque certamen commilitonum Alexandri fuit. Ut Seleucus amissis in Cappadocia cum Diodoro copiis, interfectus est a Ptolemaeo, fratre Arsinoës, uxoris Lysimachi: in cuius vicem Ptolemaeus cognomine Ceraunus, creatus ab exercitu rex, Macedoniam occupavit: bella cum Antiocho et Pyrrho composuit, datis Pyrrho auxiliis, quibus iret contra Romanos defensum Tarentum. Inde repetitae origines regum Epiroticorum usque ad Pyrrhum: ipsiusque Pyrrhi res gestae, priusquam in Italiam traiecit.

---

## LIBER XVIII.

### PRAEFATIO.

Octavo decimo volumine continentur res a Pyrrho Epirota in Italia gestae contra Romanos: postque id bellum transitus eius in Siciliam adversus Carthaginienses. Inde origines Phoenicum et Sidonis et Uticae, Carthaginiensiumque res gestae in excessu dictae.

### 23.

Stratonis quoque, licet ambitio derisa, profuit subtilitas. Servi namque Tyriorum factiose conspirant: dominos cum liberis omnes occidunt, lares dominorum occupant, regem inter se creare contendunt, eum scilicet, qui solem orientem primus vidisset. Unus ex servis domino suo iam seni, et filio suo parvulo pepercerat, a quo servus informatus, cum omnes in unum campum processissent, caeteris orientem spectantibus, solus occidentem intuetur. Aliis ridiculum, nonnullis videtur furor solis ortum in occidente quaerere. Ubi autem primo diescere coepit, hic primus fulgorem solis in summo civitatis fasti-

gio ostendit. Tunc intellectum est, quantum ingenua servilibus ingenia praestarent. Itaque dominum eius Stratonem regem creant, post quem ad filium, deinde ad nepotes eius regnum devolvitur. Adeo sub quodam simplicitatis palliolo elegit elucescere prudentia, cum semper sit inimica virtuti ostentatio. *Vincent. Cadl. I. 49.*

---

## LIBER XIX.

PROLOGUS.

Undevicesimo volumine continentur res Carthginiensium in Africam per Asdrubalem, Amilcarem et Annonem gestae; et in Siciliam, cum Selinuntem et Agrigentum et Camerinam et Gelam ceperunt: quo bello Dionysius Syracusanus Siciliae regnum occupavit. Bellum, quod cum eo Poeni per Imilconem gesserunt, quoad obsidione Syracusarum exercitum et classem amisit.

### 24.

*Triumphis dives* i. e. bellicosa. Et quidam dicunt: Afros nunquam triumphasse; Plinius autem secundo Historiae naturalis et Pompeius Trogus Afros, dicunt, pompam triumphi primos invenisse, quam sibi Romani postea vindicaverunt. Livius autem Andronicus refert, eos de Romanis saepius triumphasse, suasque porticus Romanis spoliis adornasse. Merito ergo dives triumphis. *Servius ad Aeneid. IV. 37., ubi Africa dicitur terra dives triumphis.*

---

## LIBER XX.

PROLOGUS.

Vicesimo volumine continentur res gestae Dionysii Siculi patris. Ut pulsis Poenis Italica bella sit molitus. Inde repe-

titae origines Venetorum et Graecorum et Gallorum, qui Italiam incolunt. Deductisque Dionysii rebus ad interitum eius, dictae, quas Hanno Magnus in Africa gessit.

---

## LIBER XXI.

PROLOGUS.

Uno et vicesimo volumine continentur haec. Ut in Sicilia Dionysius filius a patre amissum tractavit imperium. Per Dionem eiectus bellum cum Siculis gessit: donec amissis liberis et fratribus, Corinthum (*abiit*). Ut a Timoleonte Carthaginiensium bello sit liberata Sicilia: mortuoque *Sosistrato* [1]) iterum facta seditione, arcessiti ad bellum Carthaginienses obsederunt Syracusas: quo bello Agathocles nactus imperium est.

---

## LIBER XXII.

PROLOGUS.

Secundo et vicesimo volumine continentur haec. Res gestae Agathoclis: ut a Poenis nactus imperium, bellum cum ipsis gessit, primum in Sicilia; dehinc victus traiecit in Africam, ubi possessa provincia Ophellam, regem Cycenarum, interfecit. Ut rursus in Siciliam reversus, occupata totius insulae dominatione, cum revertisset in Africam, amissis copiis, solus inde profugit in Siciliam: belloque ibi repetitus, et cum Poenis pacem composuit, et dissidentes a se Siculos subiecit.

## 25.

Trogus historicus in XXII femininum a flamine pro-

---

[1]) Pisistrato

tulit: haec flaminea. *Papirius* [1]) propter mortem flamineae flaminio abiit. *Priscianus V. 3, 12.*

*Cf. Gellium X. 15 qui dicit:* Flamen Dialis, uxorem si amisit, flaminio, id est, sacerdotio suo decedit.

---

## LIBER XXIII.

PROLOGUS.

Tertio et vicesimo volumine continentur haec. Ut Agathocles, domita Sicilia, bellum in Italia Bruttiis intulerit. Repetitae inde Bruttiorum origines. Omnibus subactis, rex seditione filii exheredati ac nepotis oppressus interiit. Inter peregrinos deinde milites eius et Siculos bellum motum: quae *causa* Pyrrhum, regem Epiri, in Siciliam adduxit. Bella, quae Pyrrhus cum Poenis et Mamertinis ibi gessit: et *(ut)* a Sicilia reversus in Italiam, victus proelio a Romanis, revertit in Epirum.

### 26.

Hiero quoque ex ancilla natus, quasi dehonestamentum generis a patre exponitur; sed humanae opis egentem apes, congesto circa iacentem melle, multis diebus aluerunt, cui haruspices regnum portendi canebant. Ideoque pater parvulum recolligit, et spe regni instituit. Huic adolescenti primo tirocinio aquila *in clypeo*, *noctua* in hasta consedit, quorum altera regia celsitudo, reliquo generis humilitas figurata est. *Vincent. Cadl. I. 204.*

---

[1]) Papicio

# LIBER XXIV.

Quarto et vicesimo volumine continetur bellum, quod inter Antigonum Gonatam et Antiochum, Seleuci filium, in Asia gestum est. Bellum, quod Ptolemaeus Ceraunus in Macedonia cum *Monunio* [1]) Illyrio et Ptolemaeo, Lysimachi filio, habuit: utque Arsinoën, sororem suam, imperio Macedonicarum urbium exuit, ipse cum Belgio, Gallorum duce, congressus, interiit. Repetitae inde Gallorum origines, qui Illyricum occuparant; atque ut ingressi Graeciam, Brenno duce, Delphis victi deletique sunt.

## 27.

Galli enim, ut ait Trogus, cum eos patria non caperet, trecenta millia ad sedes novas quaerendas velut ver sacrum miserunt. Ex eis in Italia consedit portio, quae Romam captam incendit; alia per strages barbarorum penetrans, in Pannonia consedit; ibi victis Pannoniis cum finitimis multa bella gesserunt. *Vincent. Cadl. l. 14.*

## 28.

Sosthenes, licet ignobilis, dux factus est Macedonum. Hic enim Gallos victoria exultantes compescuit; hic Macedoniam ab eorum populatione defendit, ob quae beneficia multis nobilibus regnum Macedoniae affectantibus, ignobilis ipse praeponitur; qui cum rex ab exercitu appellatur, ipse milites non in nomen regis, sed in nomen ducis iurare compulit: quo facto invidiam potentiae declinavit, non apicem dignitatis depressit. *Vincent. Cadl. l. 41.*

---

[1]) Monio

## LIBER XXV.

PRODOCUS.

Quinto et vicesimo volumine continentur haec. Ut Antigonus Gallos delevit; deinde cum Apollodoro, Cassandreae tyranno, bellum habuit. Ut Galli transierint in Asiam, bellumque cum rege Antiocho et Bithynis gesserint: quas regiones Felini occuparunt. Ut Pyrrhus ex Italia reversus, regno Macedoniae Antigonum exuerit; Lacedaemoniam obsederit; Argis interierit; filiusque eius Alexander Illyricum cum Mytilo bellum habuerit.

### 29.

Pyrrhus.... rex Epiri,..... interemptus fuit a Cerere sub mulieris Argivae specie, Herophilo *Polybioque* [1]), poëta Leucea ac Pausania, in suo templo; sive in aede Dianae a quadam muliere, Trogo, Sallustio et Luceio... *Apuleius de Orthographia § 16. p. 7. ed. Osann.*

---

## LIBER XXVI.

PRODOCUS.

Sexto et vicesimo volumine continentur haec. Quibus in urbibus Graeciae dominationem Antigonus Gonatas constituerit. Ut defectores Gallos Megaris delevit, regemque Lacedaemoniorum Arean Corinthi interfecit: dehinc cum fratris sui Crateri filio, Alexandro, bellum habuerit. Ut princeps Achaiae, Aratus, Sicuonem et Corinthum et Megara occuparit. Ut in Syria rex Antiochus, cognomine Soter, altero filio occiso, altero rege nuncupato Antiocho decesserit. Ut in Asia filius Ptolemaei regis, socio Timarcho, desciverit a patre. Ut frater Antigoni, Demetrius, occupato Cyrenis regno, interiit. Ut

[1]) Polignoque

mortuo rege Antiocho, filius eius Seleucus Callinicus regnum acceperit.

---

## LIBER XXVII.

PROLOGUS.

Septimo et vicesimo volumine continenter haec. Seleuci bellum in Syria adversus Ptolemaeum; item in Asia adversus fratrem suum Hieracem: quo bello Ancurae victus est a Gallis. Utque Galli Pergamo victi ab Attalo, Zyelam Bithunum occiderint. Ut Ptolemaeus Achaeum denuo captum interfecerit; et Antigonum Andro proelio navali *pervicerit* [1]). Ut a Calinico fusus in Mesopotamia Antiochus insidiantem sibi effugit Ariamenem, dein postea custodes Tryphonis: quo a Gallis occiso Seleucus quoque, frater eius, decesserit maioremque filium eius *Apaturius* [2]) occiderit.

---

## LIBER XXVIII.

PROLOGUS.

Octavo et vicesimo volumine continentur haec. Ut mortuo rege Epiri, Alexandro, Laudamiam Epirotae occiderint. Dictique in excessu Bastarnici motus. Ut rex Macedoniae Demetrius sit a Dardanis fusus, quo mortuo tutelam filii eius, Philippi, suscepit Antigonus, qui Thessaliam et in Asia Cariam subiecit, et adiutis Achaeis contra regem Spartanum Cleomenem cepit Lacedaemoniam, amissoque regno Cleomenes Spartanus confugit Alexandriam, atque ibi interiit. Dictum in excessu bellum Illyricum, quod Romani gessere cum Teuta.

---

[1]) prona vicerit

[2]) Epatorius

## LIBER XXIX.

PROLOGUS.

Undetricesimo volumine continentur haec. Res gestae Philippi regis adversus Dardanos et Aetolos; repetitaeque inde Creticae origines: post cuius insulae societatem Philippus cum Illyriis et Dardanis et rursus Aetolis bello congressus est, adiuvantibus Aetolos Romanis. Quo finito intulit *Dardanis* [1]) bellum.

---

## LIBER XXX.

PROLOGUS.

Tricesimo volumine continentur haec. Ut mortuo Ptolemaeo Tryphone, filius eius Philopator Antiochum regem vicit *Raphiae:* ipse amore Agathocleae corruptus decessit, relicto filio pupillo. In quem cum Philippo, rege Macedonum, consensit Antiochus. Philippi deinde gesta in Asia, cum movisset Aetola bella. A quibus reversus, bellum habuit cum ducibus Romanis Sulpicio et Flaminino: a quibus victus; pax. Transitus deinde ad res Antiochi: qui post regnum acceptum persequutus defectores in Media Molonem, in Asia Achaeum, quem obsedit Sardibus, pacata superiore Asia Bactris tenus, in Romana bella descendit.

---

## LIBER XXXI.

PROLOGUS.

Uno et tricesimo volumine continetur bellum, quod cum Lacedaemonio Nabide Titus Flamininus et Philopoemen, dux Achae-

---

[1]) Aetolis.

orum, gessit. Item bellum, quod cum Antiocho in Achaia per Acilium consulem, et in Asia per Scipionem gestum est. Denique Annibalis, ad regem, ab Carthagine fuga. Bellum cum Aetolis gestum per eundem Acilium, qui Antiochum Graecia expulerat.

---

## LIBER XXXII.

### PROLOGUS.

Secundo et tricesimo volumine continentur haec. Defectio ab Achaeis Lacedaemoniorum et Messeniorum, qua Philopoemen interiit. Romanorum in Asia duce Manlio adversum Gallos bellum. Regis Philippi, propter ablatas sibi civitates, alienatus in Romanos animus, et ob hoc alter filiorum, Demetrius, occisus: concitatique ab eo Bastarnae, transire conati in Italiam. Inde in excessu dictae res Illyricae: ut Galli, qui occuparant Illyricum, rursus redierunt in Galliam; originesque Pannoniorum, et incrementa Dacorum per *Burobosten* [1]) regem. In Asia bellum a rege Eumene gestum adversus Gallum Ortiagontem, Pharnacem Ponticum et Prusiam, adiuvante Prusiam Annibale Poeno. Res gestae Annibalis post victum Antiochum et mors. Mortuo Seleuco, filio Magni Antiochi, successit regno frater Antiochus.

### 30.

Trogus Pompeius de bello *Getarum* [2]). Etsi mihi [3]) longe iucundius [4]) fuisset Italiae felicitatem, quam clades referre, tamen quia tempora sic tulerunt, sequemur et nos fortunae mutabilitatem, *Getarumque* [5]) invasionis describemus

---

[1]) Rubobosten
[2]) Gothorum.
[3]) michi
[4]) iocundius
[5]) Gothorumque

dolorosam profecto manum, sed pro cognitione illorum temporum necesariam. Neque enim Xenophontem Atheniensem, summo ingenio virum, cum obsidionem et famem ac diruta moenia Athenarum descripsit, non dolentem id fecisse reor; scripsit tamen, quia utile putabat illarum rerum memoriam non deperire. Neque Livius noster, cum urbem a Gallis captam et incendiis conflagratam refert, minorem meretur laudem, quam cum Pauli Aemilii triumphum illum praeclarum de Macedonibus, aut Publii Africani victorias enarrat. Historiae quippe est, tam prosperas quam adversas res monimentis literarum mandare: itaque optanda quidem meliora, scribenda vero quaecumque contigerunt. Civitates in Italia ornatissimae magnis opibus magnaque auctoritate viguerunt hactenus [1]) hodieque vigent, quarum gloria et imperium longe lateque extenditur. Taceo morum elegantiam humanitatemque praecipuam ac bonarum artium disciplinas, in quibus parens scilicet et alumna incomparabilis Italia reperitur. Sed commendationis aliud fiat tempus. *Cod. ms. Bibl. Ossol. Nr. 601 f. 56. v.*

## 31.

Diligentis siquidem viri est, patriae suae originem et progressum, et quaecumque illae per superiora tempora contigerunt, non igorare. Habet praeterea historiae cognitio voluptatem permaximam, cum omnes narrata scire concupiscant, et utilitatem plurimam per exempla similium coeptorum atque exituum, multarumque rerum instructionem: qua senes adolescentibus sapientiores existimantur, quum plura conspexerint in vita, et non ex suis

---

[1]) actenus

tantum, verum etiam ex alienis periculis cautiores effecti, melius iudicant melioraque consilia assumunt. Opes vero atque imperia maximorum regum, potentissimorum populorum, qui usque adeo faciliter corruisse legunt, hi, quam stultum sit, intelligunt pro illis superbire ac gloriari, quae nemo exploratum habere potest usque ad vesperam esse duratura. Itaque et sapientiores et modestiores nos historia effecit. *Cod. ms. Bibl. Ossol. Nr. 601, ibid.*

## 32.

Narrabat itaque grandis natu quidam: »Infinitissimae numerositatis manum quondam *in Illyrico* [1]) viguisse, ut tanti regni immensitas vix ab ea unius iugeris meruerit existimatione censeri. Adeo Ill*yri*os non dominandi ambitus, non habendi urgebat libido, sed adultae robur animositatis exercebat, ut praeter magnanimitatem nil magni existimarent, ut suarum accessiones virtutum nullis usque terminis limitarent. Nec enim essent virtutes, si ullis dignarentur limitum ergastulis includi.

»Hi etiam transmarinorum fines suae titulis victoriae asculpserunt: non solum enim cismarinas undique nationes, sed etiam *Dalmaticas* [2]) insulas suae coniecerant ditioni, quarum non invalidas legiones prius navalibus fudere proeliis; deinde intimis insularum praecordiis infusi, omnem clientulorum subiiciunt nationem, rege quoque ipsorum *Amynta* [3]) in vincula coniecto. Quibus duorum data est optio: vel vectigales perpetuo recognoscant pensiones; vel cum mulieribus indifferentes habitu, comas muliebriter

---

[1]) hic

[2]) Danomalticas

[3]) Caminto

enutriant: argumentum scilicet imbecilitatis femineae. Illi dum altercantur de altero, utrumque suscipere coguntur.

»Minor tamen est obsequelae recognitio, quam ignominiae cauterium; prudentius enim famae consulitur, quam parcitur divitiis: divitiae siquidem infamia possessae nomen divitiarum non demerentur.

»Huius vero *Amyntae* [1]) nepos avitam ulcisci volens iniuriam, in ipsos transtulit ultionem, quam extorquere non poterat. Quia enim Daci cum *Rolo rege adversus* Bastarnas male pugnaverant, ad ultionem segnitiei, capturi somnum, capita loco pedum ponere iussu regis coacti sunt, et ministeria uxoribus, quae viris antea fieri solebant, facere, donec ignominiam bello acceptam *virtute* delerent. *Vincent. Cadl. I. 9.*

---

## LIBER XXXIII.

### PROLOGUS.

Tertio et tricesimo volumine continentur haec. Ut cum Perse, Philippi filio, rege Macedonum, Romani bellum gesserint: quo capto, deleta est Epiros. *Achaicae* [2]) civitates ab unitate corporis deductae, inter Achaeos et Lacedaemonios certamine orto. Bellum rursum in Macedonia gestum a Romanis cum Pseudo-Philippo.

---

## LIBER XXXIV.

### PROLOGUS.

Quarto et tricesimo volumine continentur haec. Bellum Achaicum, quod Romani per Metellum et Mummium gessere: quo

---

[1]) Caminti

[1]) Aetolicae

diruta est Corinthus. Bellum regis Eumenis cum Gallograecis, et in Pisidia cum Selgensibus. Res, quas gessit Syriae rex Antiochus, et rex Aegypti Ptolemaeus Epiphanes. Ut mortuo Ptolemaeo, relicti ab eo filii duo, Philometor et Euergetes, primum cum Antiocho habuere bellum, quod per Romanos finitum est, deinde inter se, quo maior est expulsus; restitutoque Romani inter fratres regna diviserunt. Ut mortuo rege Syriae, Antiocho, Demetrius cognomine Soter, qui Romae fuerat obses, clam fugit ocupataque Syria bellum cum Timarcho, Medorum rege, habuit (*et*) Ariarathe, rege Cappadocum: repetitae inde origines regum Cappadocum. Ut habita inter Ariarathen et Orophernen regni certamina. Ut mortuo rege Asiae, Eumene, suffectus Attalus bellum cum Selgensibus habuit et cum rege Prusia.

---

## LIBER XXXV.

### PROLOGUS.

Quinto et tricesimo volumine continentur haec. Bellum Piraticum inter Cretas et Rhodios: seditio Cnidiorum adversum Ceramenses. Ut adversus Demetrium Sotera subornatus est Alexander, tanquam genitus Epiphane Antiocho: quo bello victus Demetrius, (*interiit. Ut deinde maior filiorum eius, Demetrius,*) invisum stultitia Alexandrum bello vicit, adiuvante Ptolemaeo Philometore, qui eo bello interiit. Ut deinde orta Demetrio bella sint cum Diodoto Tryphone, expulsusque a Tryphone regno Syriae Demetrius. Repetit inde superioris Asiae motus factos per Areteum et Arsacem Parthum.

---

## LIBER XXXVI.

### PROLOGUS.

Sexto et tricesimo volumine continentur haec. Ut Trypho pulso Syria Demetrio captoque a Parthis, bellum gessit cum

fratre eius Antiocho cognomine Sidete. Ut Antiochus, interfecto Hyrcano, Iudaeos subegit. Repetita inde in excessu origo Iudaeorum. Ut rex Asiae, Attalus, Caenos Thracas subegit successoremque imperii Attalum Philometora reliquit. Mortuo denique Philometore, (*Aristonicus*) regno Asiae occupato, bellum cum Romanis gessit: quo captus est.

33.

*Starzy historykowie, jako Trogus Pompejus, Kornelius Tacytus, pisali o Żydziech inaczej niż w pismie świętym stoi: iż je miał Faraon król wypędzić dla ich zarażenia, iż byli zarażeni rozmaitemi plagami od Boga, iż niechcieli tego Boga chwalić ktorego Egiptczycy chwalili. Takież o wodę na puszczy, iż ją Aaron za końmi idąc nalazł, a ona z góry zawżdy szła; a Żydowie balsamem kupczyli którego tam dosyć było na górze Syna, i tym się żywili; a temu narodu i Bogowie i ludzie niesprzyjazni byli: lecz króle dziewkami pięknymi zawżdy ubłagali, które się u nich rodzą nad inne gładkie.* Marcin Bielski, kronika świata, l. 466.

Veteres historici, ut Trogus Pompeius, Cornelius Tacitus, de Iudaeis alia ac in sacra scriptura reperiuntur, memoriae tradiderunt. Fuisse nempe propter contagionem a rege Pharaone regno expulsos, quod variis morbis infecti erant, cultumque Deorum, quos Aegyptii coluere, aspernabantur. Porro aquam in deserto ab Aarone, equorum vestigia secuto, fuisse repertam, quae e rupe continuo scatebat. Iudaeos opobalsami, cuius magna in monte Sinai copia erat, mercaturam fecisse, sicque vitam sustentasse; atque illorum genti nec Deos neque homines fuisse amicos: illos tamen semper regum gratiam virginibus pulchris, quae apud eos formosissimae nascuntur, sibi comparasse.

# LIBER XXXVII.

## PROLOGUS.

Septimo et tricesimo volumine continentur haec: Repetitis regum Ponticorum originibus, ut (*ad*) ultimum Mithridatem Eupatora series imperii deducta sit. Atque ut ingressus ille regnum subegit Pontum et Paphlagoniam, priusquam in bella Romana descendit. Dictaeque in excessu regum Bosporanorum et Colchorum origines et res gestae.

## 34.

An ignoratis regem Ponti Mithridatem, cuius futuram celsitudinem etiam coelestia signa praedixerant? Nam et eo quo genitus est anno, et quo regnare coepit, stella cometes per utrumque tempus ita luxit *septuaginta* [1]) diebus, ut coelum omne flagrare videretur, quae sive in ortu sive in occasu quatuor horas consumebat: per quod probatur sextam coeli partem magnitudine occupasse.

Puer insidiis tutorum veneno appetitur; ille saepius bibit antidota, ut ne volens quidem senex veneno mori potuerit. Timens deinde, ne, quod veneno inimici non poterant, ferro peragerent, venandi studium elegit, quo septem annis neque urbis neque ruris tecto usus est, sed per silvas *vagatus* diversis montium regionibus pernoctabat, ignaris omnibus, quibus in locis mansitaret. Quibus rebus et insidias vitavit, et corpus ad omnem virtutis patientiam duravit.

Hic de augendo deinde regno cogitavit. Itaque Scythas invictos perdomuit, qui Sopyriona, ducem magni Alexandri, cum triginta millibus deleverant, qui Cyrum,

---

[1]) quadraginta

regem Persarum, cum ducentis millibus trucidaverant, qui Philippum, regem Macedonum, ceperant. Pontum quoque et Cappodociam occupat: unde Asia explorata, Bithyniam transcedens, opportuna quaeque victoriae suae metatus est. *Vincent. Cadl. II. 23.*

35.

*Walczyli (Roxolanie) i z Mitrydatem, królem Pontskim, czego dotknął Trogus Pompejus, historyk dawny, i tenże to pisze o nich: że z surowych skór wołowych kaftany sobie działali, a to zbroja ich była; temiż i pawęże abo tarcze swe powłaczali, i tak na koń z szablą, z rohatyną i z łukiem wsiadali; jakoż i dziś tych broni Ruś używa.* Bielski, kronika Polska. Kraków 1597, str. 16.

Iidem (Roxolani) etiam cum Mithridate, Ponti rege, bellum gesserunt, cuius Trogus Pompeius, orbis antiqui historicus, mentionem facit, narratque: eos e crudis pellibus taurinis thoraces *sibi* parasse, atque hos ipsis arma fuisse; item scuta sua eiusmodi cutibus obduxisse, ac equis insidentes acinace, pilo atque arcu pugnasse. Et re vera hoc armorum genere nunc etiam incolae Russiae utuntur.

---

## LIBER XXXVIII.

PROLOGUS.

Octavo et tricesimo volumine continentur haec. Ut Mithridates Eupator occiso Ariarathe Cappadociam occuparit, victoque Nicomede et Malthino, Bithyniam. Ut mortuo Ptolemaeo Phi-

lometore frater eius *Physcon* [1]) accepto regno Aegypti seditionem populi, deinde bellum cum uxore sua Cleopatra et cum rege Syriae Demetrio habuit. Inde repetitum, ut Demetrius captus sit a Parthis, et frater eius, victo in Syria Tryphone, bellum Parthis intulerit, qui cum exercitu suo deletus est.

## 36.

Tunc (Mithridates) ad concionem milites vocat, eosque variis exhortationibus ad Romana bella sive Asiana incitat. Quam orationem dignam duxi, cuius exemplum brevitati huius operis insererem, quam obliquam Pompeius Trogus exposuit: quoniam in Livio et in Sallustio reprehendit, quod, conciones directas pro sua oratione operi suo inserendo, historiae modum excesserint.

»Optandum sibi fuisse, ait, ut de eo liceret consulere, bellumne sit cum Romanis an pax habenda: quin vero sit resistendum impugnantibus, nec eos quidem dubitare, qui spe victoriae careant: quippe adversus latronem si nequeant pro salute, pro ultione tamen sua, omnes ferrum stringere. Ceterum quia non id agatur, an liceat quiescere, non tantum animo hostiliter, sed etiam proelio congressis, consulendum, qua ratione ac spe coepta bella sustineant. Esse autem sibi victoriae fiduciam, si sit illis animus: Romanosque vinci posse, cognitum non sibi magis quam ipsis militibus, qui et in Bithynia Aquilium et Maltinum in Cappadocia fuderint. At si quem aliena magis exempla, quam sua experimenta moveant, audire se, a Pyrrho, rege Epiri, non amplius quam quinque millibus Macedonum instructo, fusos tribus proeliis Romanos.

---

[1]) Ascon

Audire, Annibalem sedecim annis Italiae victorem immoratum: et quin ipsam caperet urbem, non Romanorum illi vires obstitisse, sed domesticae aemulationis atque invidiae studium. Audire, populos Transalpinae Galliae Italiam ingressos, maximis eam plurimisque urbibus possidere; et latius aliquanto solum finium, quam in Asia, quae dicatur imbellis, eosdem Gallos occupasse; nec victam solum dici sibi Romam a Gallis, sed etiam captam, ita ut unius illis montis tantum cacumen relinqueretur; nec bello hostem, sed pretio remotum: Gallorum autem nomen, quod semper Romanos terruit, in partem virium suarum ipse numeret. Nam hos qui Asiam incolunt Gallos, ab illis, qui Italiam occupaverant, sedibus tantum distare; originem quidem ac virtutem genusque pugnae idem habere: tantoque his sagaciora esse quam illis ingenia, quanto longiori ac difficiliori spatio per Illyricum Thraciamque prodierint, pene operosius transitis eorum finibus, quam ubi consederint, possessis. Iam ipsam Italiam audire se nunquam, ut Roma condita sit, satis illi pacatam, sed assidue per omnes annos pro libertate alios, quosdam etiam pro iure imperii, bellis continuis perseverasse; et a multis civitatibus Italiae deletos Romanorum exercitus ferro, a quibusdam novo contumeliae more sub iugum missos. Ac ne veteribus immoretur exemplis, hoc ipso tempore universam Italiam bello Marsico consurrexisse, non iam libertatem, sed consortium imperii civitatisque poscentem. Nec gravius vicinae Italiae bello, quam domesticis principum factionibus urbem premi, multoque periculosius esse Italico civile bellum: simul et a Germania Cimbros, immensa millia ferorum atque immitium populorum, more procellae inundasse Italiam: quorum tametsi singula bella susti-

nere Romani possent, universis tamen obruantur, ut ne vacaturos quidem bello suo putet.

»Utendum igitur occasione, et rapienda incrementa virium, ne, si illis occupatis quieverint, mox adversus vacuos et quietos maius negotium habeant. Non enim quaeri, an capienda sint arma, sed utrum sua potius occasione, an illorum. Nam bellum equidem iam tunc secum ab illis geri coeptum, cum sibi pupillo maiorem Phrygiam ademerint, quam patri suo praemium dati adversus Aristonicum auxilii concesserant, gentem quam et proavo suo Mithridati Seleucus Callinicus in dotem dedisset. Quid, cum Paphlagonia se decedere iusserint, non alterum illud genus belli fuisse? quae non vi, non armis, sed adoptione testamenti, et regum domesticorum interitu, hereditaria patri suo obvenisset: cum inter hanc decretorum amaritudinem parendo, non tamen eos mitigaret, quin acerbius se in dies gerant, non obtinuisse. Quod enim a se non praebitum illis obsequium? non Phrygiam Paphlagoniamque dimissas? non Cappadocia filium eductum, quam iure gentium victor occupaverat? Raptam tamen sibi esse victoriam eius ab illis, quorum nihil est nisi bello quaesitum. Non regem Bithyniae, Chreston, in quem senatus arma decreverat, a se in gratiam illorum occisum? tamen nihilominus imputari sibi, si qua Gordius aut Tigranes faciat: libertatem etiam in contumeliam sui a senatu ultro delatam Cappadociae, quam reliquis gentibus abstulerint: deinde populo Cappadocum, pro libertate oblata, Gordium regem orante ideo tantum, quoniam amicus suus esset, non obtinuisse. Nicomedem praecepto illorum bellum sibi intulisse: quia ultum ierit se, ab ipsis ventum obviam et nunc eam secum bellandi illis causam fore,

lumniae litium. Sequantur se modo fortiter, et colligant quid se duce possit efficere tantus exercitus, quem sine cuiusquam militum auxilio, suamet unius opera viderint Cappadociam, caeso rego, cepisse, qui solus mortalium Pontum omnem Scythiamque paccaverit, quam nemo ante transire tuto atque adire potuerit. Nam iustitiae atque liberalitatis suae nec ipsos milites, qui experiantur, testes refugere: et illa indicia habere, quod solus regum omnium non paterna solum, verum etiam externa regna, hereditatibus propter munificentiam acquisita possideat, Colchos, Paphlagoniam, Bosphorum." *Iustinus*, XXXVIII. 3—8.

---

## LIBER XXXIX.

### PROLOGUS.

Nono et tricesimo volumine continentur haec. Ut exstincto a Parthis Antiocho Sidete, frater eius Demetrius dimissus regnum Syriae recepit: subornatoque in bellum adversus eum Alexandro Zebinna interiit, filiusque Antiochus Grypos, victo Zebinna, regnum occupavit: dehinc cum fratre suo Antiocho Cyziceno bellum in Syria Ciliciaque gessit. Ut, Alexandriae mortuo rege Ptolemaeo Physcone, filius eius, Ptolemaeus Lathyros, accepto regno expulsus est a matre Cyprum; et in Syria bello petitus ab eadem; suffecto in locum eius Alexandro, donec, occisa per Alexandrum matre, recepit Aegypti regnum. Ut post Lathyrum filius Alexandri regnarit, expulsoque eo, suffectus sit Ptolemaeus Nothus. Ut Syriam Iudaei et Arabes terrestribus latrociniis infestarint: mari Cilices piraticum bellum moverunt, quod in Cilicia Romani per Antonium gesserunt. Ut in Syria Heracleo post mortem regis occuparit imperium.

37.

Non mirum si fratres viginti unius imperio fideliter obsecuti sunt, cum de Erotimo rege Arabum maius reperiamus exemplum.

Hic siquidem Erotimus septingentos habuit filios, quos ex vilissimis susceperat pellicibus, quorum fiducia exsanguibus finitimorum magnum nomen comparavit, imo invictissimos regum insigni felicitate perdomuit. *Miersuae Chron. Pol. l. 57.*

---

## LIBER XL.

### PROLOGUS.

Quadragesimo volumine continentur haec. Ut mortuo Grypo rege, Cyzicenus cum filiis eius bello congressus, interiit: hi deinde a filio Cyziceni Eusebe; exstinctaque regum Antiochorum domo, Tigranes Armenius Syriam occupavit: quo mox victo, Romani abstulere eam. Ut Alexandriae post interitum Ptolemaei Lathyri substituti sint eius filii: alteri data Cypros, cui Publii Claudii rogatione Romani abstulerunt eam; alter seditione flagitatus Alexandriae, Romam profugit, belloque per Gabinium gesto recepit imperium; quo mortuo successit filius: qui cum sorore Cleopatra certamine insumpto et Pompeium Magnum interfecit, et bellum cum Caesare Alexandriae gessit. Ut successit eius soror regno, Cleopatra: quae illigato in amorem suum M. Antonio, belli Actiaci fine exstinxit regnum Ptolemaeorum.

---

# LIBER XLI.

PRAEFATIO.

Uno et quadragesimo volumine continentur res Parthicae et Bactrianae. In Parthis ut est constitutum imperium per Arsacem regem. Successores deinde eius Artabanus et *Mithridates* [1]) cognomine Deus: a quo subacta est Media et Mesopotamia. Dictusque in excessu Arabiae situs. In Bactrianis autem rebus, ut a Diototo rege constitutum imperium est; deinde quo repugnante Scythiacae gentes Sarancae et Asiani Bactra occupavere et Sogdianos. Indicae quoque res additae, gestae per Apollodotum et Menandrum, reges eorum.

## 38.

Regem siquidem Bactrianorum Eucratidem, *filius*, iam regni socius a patre factus, ambitu interfecit; qui quasi hostem non patrem occidisset, per sanguinem eius currum egit, et corpus inhumatum abiici iussit. Sed non sine ultione. Huius enim parricidae unicus parvulus, avi morte anxiatus, ignaris custodibus nemus ingreditur, dolorem anxietatis morsibus ferarum optat finire. Qui per dies aliquot per lustra vagabundus, fungis et radicibus latranti stomacho succurit; novissime cuiusdam gustu radicis pestiferae in languorum prosternitur, quo fatigatus, quasi animam exhalaturus, oscitare coepit. Oscitantis ori serpens illabitur, cognata forsitan suae pestilentiae radice illectus, hic introreptans, herbas crudas et indigestas ad os stomachi revocat, et ad vomitum impellit.

Pater interea venatibus indulgens, diutissime quaesitum ac desperatum, sic tandem vomitantenm invenit: qui

---

[1]) Tigranes

cum rugitu super adolescentulum provolvitur, lacrymis effluit, ad os moribundi os applicat et hiantem osculis fatigat. Illico serpens osculantis labio morsum impingit, quo laesus pater ac territus repente resiliit, et serpentem vix cum parte labii abstrahit et obterrit, parvulumqae semianimem ad suos reportat. Et in brevi redditur sospitati adolescens, omni veneno evomito. Patrem ex vulnere serpentis infusum virus in vesaniam vertit: qua saevissime agitatus, cum alios appetere non posset, linguam, labia mordicantim sibi detruncans, absorbet. Sic propria membra dimordicans, vix tandem exspirat. *Vincent. Cadl. II. 37.*

---

## LIBER XLII.

### PROLOGUS.

Secundo et quadragesimo volumine continentur Parthicae res. Ut praefectus Parthis a Phraate (Himerus) Mesenis bellum intulit, et in Babilonios et Seleucenos saeviit: utque Phraati successit rex Mithridates cognomine Magnus, qui Armeniis bellum intulit. Inde repetitae orignes Armeniorum et situs. Ut varia complurium regum in Parthis successione imperium accepit Orodes, qui Crassum delevit, et Syriam per filium Pacorum occupavit. Illi successit Phraates, qui et cum Antonio bellum habuit, et cum Tiridate. Additae res Scythicae: reges Thocharorum Asiani, interitusque Sarducarum.

---

## LIBER XLIII.

### PROLOGUS.

Tertio et quadragesimo volumine continentur orgines (priscorum)

Latinorum, situs urbis Romae, et res usque ad Priscum Tarquinium. Origines deinde Liguriae, et Massiliensium res gestae.

## 39.

Eodem tempore condita est inclyta Roma a geminis fratribus, scilicet Remo et Romulo: cuius regni primordia paucis expedire curabo, ita tamen, ut non modum propositae brevitatis excedam. Ita quippe gens ipsa late per orbem terrarum arma circumtulit, ut qui res, prout fuerunt, et vires eius legunt, non unius gentis, sed humani generis facta discant. Nam ad construendum eius imperium contendisse virtus et fortuna videbantur. *Matthaei Westmonasteriensis Flores historiar. I. p. 29. (ed. Lond. 1570.)*

*Cf. eiusdem I. p. 81.* Anno divinae incarnationis nono, Caesare Augusto imperii sui quinquagesimum primum agente annum, Trogus Pompeius chronica sua terminavit, in quibus quasi mundi praeteriti cursum ad memoriam posterorum reduxit. Ita namque Romanorum Rempublicam, et arma, quae gens illa late per orbem terrarum circumtulit, ab initio usque ad praesens tempus prosequitur, ut qui res eius legerit, ad construendum Romanum imperium virtutem et fortunam discat contendisse.

## 40.

Rex Segobrigiorum Nannides patrem in aula obtruncat, cuius etiam sanguinem lingere non horruit, quasi novo lethi experimento probans: non minus esse dulcem gustu, patris cruorem quam aspectu. Iste ne solus videatur flagitii suspectus, adolescentes ingenuos mu-

neribus invitat et in patris occisionem instruit. Non impune tamen. Nam cum filius huius parricidae adhuc patre incolumi ad regnum suspiraret, et procerum praecipuos studiosius inclinaret, respondent facturos, dum paternam non deserat prudentiam. Quibus ille: Quaenam est illa? — Modicisper, inquiunt, praestolare. Appelli iubent duos greges: balantum unum, alterum caprarum, et seorsum arietem et hircum. Utrius, inquiunt, gregis ducem elige! At ille: balantum. Uter grex potior? — Respondit: balantum. Et illi: Inscrutabilis est tui patris industria, et non poteris ad eam. Ille namque cum sciret, similitudinem amicissimam esse naturae, non prius nos dilexit, quam illi essemus etiam parricidio conformes, et sic nos capris conformat parricidii olacitas. Quibus ergo placere velis, similem te fieri oportet.

Proinde cursu citatissimo patrem adit, pugione confodit, regnum petit; sed proprio iudicio a regno arcetur. Aiunt enim: Quia dux esse balantum elegisti, quia potiorem iudicasti hirco arietem, recte quidem; sed cur tam repente ex ariete factus es hircus? Quaere igitur fetas, quae hircina olacitate capiantur; nos deinceps nec esse capras petulantes, nec hirco subesse delectat. Is eorum exitus qui sanctissima patrum numina ea colunt reverentia. *Vincent. Cadl. I. 160.*

## 41.

Consultanti super donatione terrae Culmensis Cruciferis facienda, Conrado Masoviae duci, fabula a Trogo descripta, et pene in simili eventu, dum Massiliensis fundaretur civitas, ab uno regulorum in coniectura perspica-

cissimo, a consiliariis Polonicis, in detractionem eorum, quae conceperant, obiicienda erat.

Canem aliquando partu gravidam locum a pastore precario petiisse, in quo partum effunderet. Quo obtento, iterum sollicitasse, ut sibi educare in eodem loco teneros partus liceret. At postremo adultis catulis, fultam domestico praesidio, proprietatem loci, hero suo excluso, vindicasse. *Dlugoss. Hist. Pol. VI. 645.*

---

## LIBER XLIV.

### PRODOCUS.

Quarto et quadragesimo volumine continentur res Hispaniae et Punicae.

### 42.

Memini me legisse in Bibliotheca Fuldensi, in libro Trogi Pompeii, Augustum dedisse edictum de describendo orbe Tarracone, et idem edictum in libro illo dicebatur datum Tarracone: dilata tamen executio propter negotiorum multitudinem diu. *Luitprand. Adversar. n. 200. (Opp. ed. Antverp. 1640 p. 490).*

*Cf. Matthaei Westmonast. I. p. 73.* Tunc exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis. Voluit scire numerum regionum in orbe, quae Romanae suberant ditioni. Numerum etiam civitatum in qualibet regione, numerum quoquo capitum in qualibet civitate. Praecepit etiam, ut de suburbanis oppidis, vicis et pagis singuli, convenientes in suam civitatem, profiterentur, un-

de trahebant originem, unusquisque numum pro capite suo deferret, qui decem numos appenderet et imaginem Caesaris et nominis inscriptionem haberet. Iudaea vero, quia in umbilico terrae nostrae habitabilis esse videtur, provisum est, ut ab ea inchoaretur. Haec descriptio prima facta est a praeside Syriae Cyrino, vel quia prima fuit post praesulatum Cyrini, vel prima, id est universalis et maxima Augusti, quia nec antea nec post talis facta fuisse perhibetur.

## FRAGMENTA SEDIS INCERTAE.

### 43.

Itaque ut alia satis multa, sic etiam haec, iam plane obliterata, ad memoriam nostrorum hominum reducere studuimus. *Cod. ms. Bibl. Ossol. Nr. 601. f. 56. v.*

### 44.

*Teucrus.* De hoc fabula duplex est; nam et de parentibus eius dupliciter traditur. Alii enim Curetis et Idaeae nymphae; alii inter quos et Trogus, Scamandri filium tradunt, qui Scamander quum Creta frugum inopia laboraret, cum parte tertia populi ad exteras sedes quaerendas profectus est, ab Apolline monitus: ibi eum habiturum sedes ubi noctu a terrigenis oppugnatus esset. Quum ad Frygiam venisset et castra posuisset, noctu mures arcuum nervos et loramenta armorum adroserunt. Scamander hos interpretatus hostes esse terrigenas, in Idae montis radicibus

aedificia collocavit: qui quum adversus Bebrycas finitimos bellum gereret, victor in Xantho flumine lapsus non comparuit, qui post a Cretensibus, in honorem regis sui, Scamander appellatus est: filioque eius Teucro regnum traditum, qui cives e suo nomine Teucros appellavit; qui post a rege Troo (*vel* Troe) Troiani dicti sunt, et templum Apollini constituit, quem Sminthium appellavit. Cretenses enim murem Sminthicem dicunt. *Servius ad Aeneid. III. 108.*

## 45.

Rege quoque Macedonum procul agente, inquilinus eius Ipander, sordidissimi cerdonis filius, arcem occupat, regia sese iubet nuncupatione venerari, cuius in favorem *ut* populus esset propensior, censuales relaxat pensiones, amputat tributa, omne exactionis onus ait se rege sopitum. Nec defuit illi credulae multitudinis simplicitas. Ad eius itaque confavoraneos rex primo mittit cum hac sententia: Ficus radice evulsae, aureis licet funiculis carientissimo si appendantur stipiti, florere possunt, an non?

Secundo cum hac: Sicci a fonte rivuli, bibulo licet pleni sabulo, inundabunt alveis an non?

Tertio cum hac: Ad singulos oscinum hiatus, pullus hians hierundinis a murilego educabitur an non?

Novissime humanam sine capite mittit effigiem, ex auro et gemmis artificiosissime expolitam, et asini caput coronatum cum hoc scripto: Haec imago vestra est generositas, gemmis virtutum distincta; caput hoc rex vester est: asinus enim insessor rex coronatus. Si ergo haec membra huic bene capiti conveniunt? bene vobis cum rege vestro conveniat; sin aliter? sit aliter.

His itaque persuasi regem regno conciliant, qui Ipandrum in eadem arce catenis vinctum fame extinguit, naturae arguens desertorem, naturalibus non indigere adminiculis. *Vincent. Cadl. I. 118. sqq.*

---

## FRAGMENTA

### EX LIBRO DE ANIMALIBUS.

#### 46.

Et in Aegypto septenos uno utero simul gigni, auctor est Trogus. *Plinius Hist. Nat. VII. 3.*

#### 47.

Perdices quidem et maritos suos fallunt, quoniam intemperantia libidinis frangunt earum ova, ne incubando detineantur. Tunc inter se dimicant mares desiderio feminarum: victum aiunt Venerem pati. Id quidem et coturnices Trogus, et gallinaceos aliquando; perdices vero a domitis feros et novos aut victos iniri promiscue. *Idem X. 51.*

#### 48.

Pili a cute exeunt crassa, hirti; feminis tenuiores, equis in iuba largi, in armis leoni: dasypodi et in buccis intus et in pedibus; quae utraque Trogus et in lepore tradidit: hoc exemplo libidinosiores hominum quoque hirtos colligens. *Idem XI. 94.*

#### 49.

Addidit morum quoque aspectus simili modo apud nos Trogus, et ipse auctor severissimus; quos verbis eius subiiciam.

»Frons ubi est magna, segnem animum subesse significat; quibus parva, mobilem; quibus rotunda, iracundum, velut hoc vestigio tumoris apparente. Supercilia quibus porriguntur in rectum, molles significant; quibus iuxta nasum flexa sunt, austeros; quibus iuxta tempora inflexa, derisores; quibus in totum demissa, malevolos et invidos. Oculi quibuscumque sunt longi, maleficos esse indicant. Qui carnosos a naribus angulos habent, malitiae notam praebent. Candida pars extenta, notam impudentiae habet; qui identidem operire solent, inconstantiae. Oricularum magnitudo, loquacitatis et stultitiae nota est.« Hactenus Trogus. *Plinius Hist. Nat. XI. 114.*

50.

Nam folia palmarum apud Babylonios seri, atque ita arborem provenire, Trogum credidisse demiror. *Idem XVII. 9.*

51.

Trogus auctor est circa Lyciam penicillos molissimos nasci in alto, unde ablatae sint spongiae. *Idem XXXI. 47.*

52.

Sed et Valgius et Verrius et Trogus de animalibus, hi tres »lacte« dicunt; at consuetudo tamen aliud sequitur. *Charisius I. 79. ed. Putsch.*

---

53.

*Animos aequabit Olympo.* Magnitudine aequabitur coelo. De hoc autem loco et Trogus et Probus quaerunt. *Servius ad Virgil., Aeneid VI. 783.*

# ADNOTATIONES

## IN PROLOGOS HISTORIARUM PHILIPPICARUM ET FRAGMENTA

# POMPEII TROGI.

---

### IN FRAGMENTUM 1.

*Vir muliere corruptior.* Cf. Iust. I. 3.

*Arbactus.* Hanc lectionem, omnibus codicibus probatam, plurimi editorum in *Arbaces* emendare conabantur. At Bongarsius olim et novissime Duebner codicum Iustini sequuti sunt auctoritatem: ad quam firmandam vel id notare sufficit, quod in codicibus manuscriptis Vincentii Cadlubonis, pluribus quam viginti, quos consulebam, semper nomen *Arbactus*, non *Arbaces* reperitur.

### IN FRAGMENTUM 3.

*Scythis pecuniarum interventu.* Vincentius, more suo, unde notitiam hanc deprompserit, non refert. Hanc ego tamen Trogi fragmentis superstitibus adnumerare minime dubito, idque: *a*) quoniam chronographus noster exempla rerum antiquitus gestarum ex Trogo laudat, cuius nomen quoque pag. 14 commemorat; neque alium quemquam praeter hunc scriptorem historiarum in toto opere suo adducit; *b*) quia in nullo alio scriptorum, qui ad nostra usque tempora pervenerunt, quod ego quidem scio, harum mentio ocurrit; quapropter illa censenda sunt ex auctore quodam deperdito, in quorum numero et ipse Trogus habetur, deprompta esse; *c*) Scythae vocatur in hoc fragmento gens, cui dominabatur Tomyris, haecque ipsa Scytharum regina

est appellata; neque aliter hac in re sentit Trogi epitomator, Iustinus, a quo Herodotus, Strabo aliique discrepant, Tomyrin Massagetarum reginam vocantes, hosque ab illis aperte distinguentes. Ceterum notandum, quod iam supra in praefatione ipsa innueram, Vincentium res gestas Trogo auctore referentem minime curam habuisse puritatis linguae Trogi; imo ipsam barbaris saepe vocibus inquinasse: id quod etiam Iornandes aliique fecerunt.

*Tomyris.* Hoc quoque nomen complures Iustini editores rectius *Tamyris* scribendum esse putabant. Duebner priorem retinet lectionem, nonnullis Iustini et plerisque, idque optimis, Frontini codicibus manuscriptis innixus. Hanc lectionem codices Vincentii nostri constanter exhibent.

### IN FRAGMENTUM 4.

*Cyrus rex Persarum.* Cf. Iust. I. 8.

### IN FRAGMENTUM 6.

*Vesosis Aegyptiorum rex.* Cf. Iust. I. 1. et II. 3—4. Plures Iustini editores, et ipse quoque Duebner, nomen *Vesosis* in *Sesostris* commutant, contra auctoritatem omnium codicum manuscriptorum. Equidem prius retinendum putabam idque praecipue ideo, quod quae de hoc rege referuntur, neque quoad tempus, neque quoad rem ipsam cum illis, quae de Sesostride constant, congruere possunt. Ceterum nomen hoc, incuria scribae in *Velonem* depravatum, occurit apud Ioannem Wallingfordium (Thom. Gale Hist. Brit. SS. I. 522) et alios auctores, qui codices antiquissimos prae oculis habuisse videntur.

### IN FRAGMENTUM 7.

*Scythae tertia expeditione.* Quae hoc fragmento continentur, in Iustini libro II. 5. reperies, praeter haec: »ut hos vel illas nec poena dissimiles, nec dispares fecerit sceleris immanitas." Facile tamen in his dignoscuntur ipsius Trogi verba, quippe quae et facundiae eius vis, et verborum iunctura cum periodi huius protasi, a Iustino ad verbum asservata, satis indicant.

### IN FRAGMENTUM 8.

Quamvis Iornandes hoc loco fontem narrationis suae non laudat, ex collatione tamen verborum eius cum Iustino II. 5. apparet, illam ex Pompeio Trogo depromptam fuisse.

### IN FRAGMENTUM 9.

*Dorienses contra Athenienses.* Cf. Iust. II. 6.

### IN FRAGMENTUM 10.

*Xerxes Persarum rex.* Discrepant haec valde a verbis Iustini lib. II. 12. Simillima tamen his ex Trogo Sebastianus Munsterus, in Cosmographia universali, (edit. Basileae 1552 f. 928) narrat: »Cum Xerxes, rex Persarum, Graeciam direpturus, magnam vim hominum in eam transtulisset, contendissetque Apollinis templum spoliare, in maximum venit periculum. Nam devolvebantur e monte in eius exercitum duo saxa, cadebantque ignita spicula cum horrendis tonitruis e coelo, et qui conscenderant montem, ceu insani praecipitabant de monte, interieruntque tunc machinatione daemonis, ut Trogus scribit, quatuor millia hominum." Verba: *machinatione daemonis* sunt absque dubio addita a Munstero, et apud Martinum Bielski desiderantur. Quae autem hic de fuga reliquorum profert, in dubium vocare licet, an in Trogo reperirentur, cum secundum Iustinum Xerxes quatuor tantum millia Delphos, ad templum Apollinis diripiendum, miserat.

### IN PROLOGUM LIBRI III.

*Ut ab Heraclidis.* In facsimili Prologorum, quod ex codice Cracoviensi mihi comparandum curavi, legitur: *Hereel(id)is* cum nota compendiaria sursum adposita. Quo motus, vocem hanc in textum assumendam putabam. Ceterum cum posthac ipsum codicem Cracoviensem attento animo volvebam, animadverti vocem illam duabus lineis esse deletam, manu, credo, eadem aut coaeva (Cod. ms. Crac. CCVIII. 6. pag. 33); quam emendationem esse

omittendam, imitator authographi a me adhibitus, imprudenter arbitratus est. Corrigendum est igitur secundum editiones priores: *Ut ab Herculis posteris.*

IN FRAGMENTUM 11.

Iacobi de Cessolis seu de Thessalonia *Liber de moribus hominum et officiis nobilium super ludo scacorum* aliquoties typis vulgatus, in regionibus nostris rarissimus est. Non contigit mihi illum videre, quamvis diligenter quaesiverim: quapropter fragmenti huius causa adeundus mihi erat codex bibliothecae Ossolinianae manuscriptus Nr. 1., in quo, folio 243 opus hoc talem inscriptionem praesefert: *Tractatus fratris Iacobi de Cessolis De moribus et officiis hominum.* Est ille codex papyraceus, in folio, circa finem, ut puto, seculi XV, characteribus gothicis pagina bipartita scriptus. Vix autem fragmentum illud typis dabam, quum singulari favore Cl. Augusti Mosbach variantes lectiones eiusdem fragmenti ex tribus codicibus Vratislaviensibus obtinuissem. Horum codicum primus *(A)* in bibliotheca Rhedigeriana reperitur, nitidissime charta membranacea in 8vo scriptus; secundus *(B)* Vratislaviae in bibliotheca Universitatis asservatus, scriptus est in folio, charta partim membranacea, partim vulgari, sub finem XIV, aut initio XV seculi; tertius denique *(C)* in Universitatis eiusdem bibliotheca invenitur, minusculis, charta papyracea, in 8vo, anno 1494 scriptus. At quae discrepant loca, ad eruendam rem vel ad illustrandam parum contribuunt, et maximam partem incuriae aut ignorantiae scribarum specimen praebent. Quapropter nonnullas tantum lectiones hic adferendas esse putabam.

*quondam nobili milite.* Sic cod. Ossol.; codd. vero *B.* et *C.* *quodam n. m.*; cod. autem *A.* *quodam nobili rege.* In Tractatulo De quatuor virtutibus cardinalibus, ubi idem fragmentum breviter complexum reperitur, rectius legimus: *Narrat Trogus Pompeius de Lycurgo philosopho et principe.* (Cod. ms. Bibl. Univ. Leopol. 54. C. 10. f. 4. v.)

*Prima lege.* Sic codd. Vratisl.; cod. Ossol. *prima lex.*

*in custodiam populi atque ad coertionem impiorum informat.* Cod. *A.* *ad c. p. et ad iustitiam impiorum formavit.* Cod. *B.* *in*

*obsequium populi atque in iustitiam impiorum f.* Cod. *C. ad c. p. a. q. in iustitiam ipsorum firmavit.*

*parsimoniam persuadet et frugalitatem, credens militiam laudabilius fieri modestia quam crapula.* Cod. *A. p. persuasit aestimans laborem militiae assidua frugalitatis consuetudine faciliorem esse.*

*annuas sanctiones.* Sic Cod. Ossol.; cod. *A. annulas s.*

*pueros puberes.* Sic corrigo ex Iustino; codd. omnes *pueros pauperes.*

*non in ludo et levitate.* Sic cod. Ossol. cod. *A. non in luxuria nec in ioco.* Cod. *B. non in ludo aut ioco.* Cod. *C. non in ludo.*

*Omne autem.... servavit.* Sic Cod. Ossol.; Codd. Vratislav. *Nulla autem lege aliquid sancivit, cuius primus ipse servando aliis non fuerit in exemplum.*

### IN FRAGMENTUM 12.

*Spartani cum in obsidione.* Parum haec a verbis Iustini III. 4. differunt. At Martinus Bielski in opere suo *Chronicon mundi* (fol. 100. v.) paulo uberiorem habet narrationem, quam in fideli versione latina hic adduco: »Lacedaemon, urbs magna Graeciae, regem habuit Alcamenem, quo mortuo cives bellum cum Messeniis per annos decem gesserunt, atque hoc temporis spatio saepius uxores eos hortabantur, ut domum reverterentur. Quod quum facere fas non esset, feminis licentiam dederunt, promiscue cum adolescentibus vivendi, caventes, ne posteritas periret. Horum proles postea *Parthenii* [1]), id est spurii, vocabantur. At triginta annis post, quum filii eorum adolevissent, patrum patrimoniique expertes, tum etiam ob pudorem congregati, Graeciam, matribus non salutatis, deseruerant. Hi Italiam Phalanto

---

[1]) *Spartani* est apud Bielski; hunc tamen errorem corrigit ipse auctor, cum folio 271 eiusdem operis sui dicit, Spartam a Spartone Phoronaei filio appellatam fuisse.

duce petunt, pulsaque Tarento alia gente, ibi sedes suas posuerunt, magna posthac Iudaeorum ac Aegyptiorum amicitia usi."

Bielski fontem, unde haec hauserat, non indicat. Invenitne haec in libris Trogi, quos alibi aperte laudat, et e quibus quaedam Iustino plane ignota adducit? Valde dubito, idque vel ideo, quod narrationi eius persimilia, cumque eodem, ut apud illum mendo, reperiuntur in Iacobi Philippi Bergomatis *Suppl. Chronicor.* p, 86. (edit. Paris 1535) et in Chronico Ioannis Naucleri (ed. Coloniae 1614 f. 188). Fragmentum ergo hoc, quamquam a narratione Trogi non alienum, mediate tamen ad Martinum Bielski pervenisse videtur.

### IN FRAGMENTUM 13.

Codex manuscriptus bibliothecae Ossolinianae, in quo hocce fragmentum reperitur, est papyraceus, in folio, litera gothica pagina bipartita, seculo, ni fallor, XIV exeunte, aut *ineunte* XV, multa adhibita cura scriptus, continetque *Sermones dominicales per totum annum*, auctoris anonymi.

*Tabulis aeneis.* Cod. habet hic vocem *eb(ur)neis* per abbreviationem scriptam. Attamen ex contextu palam fit, lectionem hanc esse erroneam, atque ex voce *aeneis*, incuria scribae, distortam. In Tractatulo »de quatuor virtutibus cardinalibus", quem in codice manuscripto bibliothecae Universitatis Leopoliensis, paulo ante a me citato, volvebam pag. 4. v. fragmentum hoc idem mendum exhibet. »Lex mosaica in lapidibus scripta erat. Leges etiam Romanorum in duodecim tabulis e b u r n e i s scribebantur, in signum stabilitatis et indelebilitatis futurae."

### IN FRAGMENTUM 14.

*Is ab Dercullide.* Egregie illustrantur haec narratione Xenophontis (Hellen. III. 1. 8—21) collata cum Iust. VI. 1. 2.

### IN FRAGMENTUM 16.

*Illyrici et Traces.* Quae Iustinus libro VII. 2. de Macedonibus narrat, vehementer secum pugnare nemo non videt. Gla-

reanus circa haec sequentia notat: »Hoc etiam lector perpendat quam ἀκολούτως dicat auctor. Cum Macedones ob assidua cum Thracibus et Illyriis certamina indurati essent, ut gloria bellicae laudis finitimos terrerent: igitur Illyrios movisse Macedonibus bellum." Cuius contradictionis culpa recte Iustino datur, qui in parando Trogi compendio, flosculorum orationis Trogianae carpendorum nimis studiosus, ipsas res gestas iusto ordine redigere neglexerat. At Trogus, ut ex fragmento hic allato, ac in libro Joannis Saresberiensis reperibili, palam fit, rem ita exposuit: *Illirici et Thraces*, quotidiano exercitio indurati gloria bellicae laudis *Macedones* terrebant, qui proelio pulsi etc.

Iuvat hoc loco adnectere, quae de eodem eventu Martinus Bielski, in opere suo *Chronicon mundi*, (f. 100 v.) ex ignoto nobis fonte, narrationi tamen Trogi persimili, hausit. Cuius verba in latinam linguam fideliter translata haec sunt. »Cranaus Macedonum princeps aut dux, promptus manu, sagax mente ac ingenio maturus, post mortem regis, bellum cum finitimis Illyriis et Thracibus gessit. Quem, pulsum ab his, pudebat fugam cepisse. Igitur filio defuncti regis in cunis secum accepto, iterum contra hostes Macedones progrediuntur, repositoque infante loco secure, fortiter penes ipsum manus conseruerunt, Illyriosque ac Thraces fugaverunt; postea nuntium ad illos mittunt: se prius non vi, sed regis absentia victos fuisse."

IN FRAGMENTUM 17.

*Sic Philippus.* Cf. Iust. IX. 4.

IN FRAGMENTUM 18.

*Magnus Alexander.* Cf. Iust. XII. 8.

IN FRAGMENTUM 19.

*Non secus ac Alexander.* Cf. Iust. XII. 9.

IN FRAGMENTUM 20.

*Ex Ambrorum et Sugambrorum.* Quae Vincentius hic loci narrat, nec in Iustino nec in ullo alio, quod ego quidem sciam

clesiasticis sumpta. Te[illegible] ...m sacrificiorum epularumque ...nidem ac vetustius es ...nificentia, omni studio eni- ...s colligi potest, ia ...r, ut illum talibus in re- ...lunc ego novo ...ecelleret. Summumque ...signavi. Ips ...mbo in co posuerunt, ...nte secul ...sse viderentur bea- ...nmodo ...rentur. Nec vero ...ari ...e vitae felicitas ...que enim vio- ...ad (a pag. ..., iisque sententiae ... aut tribus foliis omnino deficientiu... ...indicare fronte codicis (pag. 1—4), partim me... ...notitia —186) insertis. At permultis harum sententiaru... ...illi ipsum auctoris, ex quo assumptae sunt, nomen so... ...in ratum, utpote: Herodoti, Polybii, Sallustii, Livii, Plu... chi, Curtii, Apulei, sancti Augustini, sancti Bernardi et alio- rum, facileque hae sententiae in ipsis fontibus suis reperiuntur. In quorum numero etiam illam Seleuci sententiam pag. 218 sub litera H, ubi de rebus hac litera inchoatis, prout: *homo*, *honor hostis* sermo fit, reperies, scriptumque huic eadem manu nomen auctoris: *Trogus*. Haec ego Trogum libro XV narasse arbitror, ubi quantopere hic rex ceteris praevaluerit, quantamque de Antigono victoriam reportaverit, uberius expositum erat, quemadmodum Prologus huius libri et Iustini excerpta innuere videntur.

### IN FRAGMENTUM 23.

*Stratonis licet ambitio derisa, profuit subtilitas.* His illustrandis vel sequens fragmentum ex Theopompo apud Athenaeum (Deipn. XII. 531. A. B. C. D.) inservire potest.

*Θεόπομπος δὲ ἐν πεντεκαιδεκάτῃ Φιλιππικῶν ἱστοριῶν Στράτωνά φησι τῶν Σιδωνιῶν βασιλέα ὑπερβάλλειν ἡδυπαθείᾳ καὶ τρυφῇ πάντας ἀνθρώπους. «Οἷα*

Theopompus vero, decimo quinto libro Historiarum Philippicarum, Stratonem ait, Sidoniorum regem luxu et deliciis omnes homines superasse. »Nam

scriptore reperies. Verum, quum fragmentum 19 in quo de Ambris et Sugambris est sermo, absque dubio ex Trogi libris pullulavit, etenim persimillima his continentur in Iustino (XII. 9); sequitur ea, quae de illis gentibus memoriae sunt tradita, iterum Trogo tanquam fonti suo tribuenda esse. Accedit, quod *Ambrorum* et *Sugambrorum* nomina ceteros auctores plane fugiunt, siquidem Arrianus (Anab. V. 22. 2), Curtius (IX. 4. 24) aliique eos *Mallos* ac *Oxydracas* vocant. Solus Iustinus Trogi auctoritatem secutus, ita eos nominat. At Cl. Duebner artis criticae praecepta strictius se observaturum credidit, nomina haec in Iustino in *Mallos* et *Oxydracas* corrigendo; quod perperam fecisse videtur.

*Ambigeri sagittas.* De *Ambigero* vide Iustinum XII. 10. Est hic, ni fallor, *Ambisarus* Arriani (Anab. V. 8. 3), nec cuiquam alii hoc sub nomine notus. De remedio ipsi Alexandro per quietem revelato vide Iustinum ibidem.

### IN PROLOGUM LIBRI XIV.

*et captam ad favorem populi.* Verba haec omittit Duebner, asserens illa ex codicibus corruptis huc esse illata. Quae coniectura minus probanda videtur, ideoque auctoritatem codicum Colbertinorum duorum et Cracoviensis secutus sum.

### IN FRAGMENTUM 21.

*perfidiae cauterio frontibus impresso.* Desiderantur haec in Iustino, (XIV. 4) qui reliqua omnia, similiter ac noster Vincentius, narrat. Atque haec luculenter probant, Vincentium sua non ex Iustino, sed ex fonte uberiori deprompsisse.

### IN FRAGMENTUM 22.

Codex manuscriptus in quo fragmentum hocce reperitur, anno 1828 bibliothecae Ossolinianae dono datus est a Ioanne Strzelbicki, quondam tribuno militum Polonorum. Chartaceus est, continetque, 220 paginis in folio, orationes, epistolas ac varia ad res gestas Polonorum spectantia, quibus intersertae diversae narrationes et apophtegmata tum ex auctoribus classicis, tum ex ec-

clesiasticis sumpta. Tegumentum huius codicis membranaceum quidem ac vetustius est; verum ex paginis disiectis et deficientibus colligi potest, iam multoties codicem ipsum religatum fuisse. Hunc ego novo Inventario sub numero 336 inscripsi, paginasque signavi. Ipsa scriptura, paucis exceptis, fere eadem manu, vergente seculo XVII exarata. Pars extrema huius codicis opus quodammodo integrum ac separatum exhibens, inscriptionem habet: *Variae variorum auctorum sententiae per alphabetum conscriptae;* quae pars iniuria temporum graviter laesa est, nam 5 solum folia (a pag. 211 usque ad 220) ordine suo sibi succedunt, iisque sententiae a litera A—L consignatae, duobus aut tribus foliis omnino deficientibus, aliis tribus partim in fronte codicis (pag. 1—4), partim medio codici (pag. 185—186) insertis. At permultis harum sententiarum additum est ipsum auctoris, ex quo assumptae sunt, nomen sollicite exaratum, utpote: Herodoti, Polybii, Sallustii, Livii, Plutarchi, Curtii, Apulei, sancti Augustini, sancti Bernardi et aliorum, facileque hae sententiae in ipsis fontibus suis reperiuntur, In quorum numero etiam illam Seleuci sententiam pag. 218 sub litera H, ubi de rebus hac litera inchoatis, prout: *homo, honor hostis sermo* fit, reperies, scriptumque huic eadem manu nomen auctoris: *Trogus.* Haec ego Trogum libro XV narasse arbitror, ubi quantopere hic rex ceteris praevaluerit, quantamque de Antigono victoriam reportaverit, uberius expositum erat, quemadmodum Prologus huius libri et Iustini excerpta innuere videntur.

### IN FRAGMENTUM 23.

*Stratonis licet ambitio derisa, profuit subtilitas.* His illustrandis vel sequens fragmentum ex Theopompo apud Athenaeum (Deipn. XII. 531. A. B. C. D.) inservire potest.

*Θεόπομπος δὲ ἐν πεντεκαιδεκάτῃ Φιλιππικῶν ἱστοριῶν Στράτωνά φησι τῶν Σιδωνίων βασιλέα ὑπερβάλλειν ἡδυπαθείᾳ καὶ τρυφῇ πάνθας ἀνθρώπους. «Οἷα*

Theopompus vero, decimo quinto libro Historiarum Philippicarum, Stratonem ait, Sidoniorum regem luxu et deliciis omnes homines superasse. »Nam

γὰρ τοὺς Φαίακας Ὅμηρος ποιεῖν μεμυθολόγηκεν, ἑορτάζοντας καὶ πίνοντας καὶ κιθαρῳδῶν καὶ ῥαψῳδῶν ἀκροωμένους, τοιαῦτα καὶ ὁ Στράτων διετέλει ποιῶν πολὺν χρόνον· καὶ τοσούτῳ μᾶλλον ἐκείνων παρακεκινήκει πρὸς τὰς ἡδονὰς, ὅσῳ οἱ μὲν Φαίακες, ὥς φησιν Ὅμηρος, μετὰ τῶν οἰκείων γυναικῶν καὶ θυγατέρων ἐποιοῦντο τοὺς πότους, ὁ δὲ Στράτων μετ' αὐλητρίδων καὶ ψαλτριῶν καὶ κιθαριστριῶν κατεσκεύαστο τὰς συνουσίας· καὶ μετεπέμπετο πολλὰς μὲν ἑταίρας ἐκ Πελοποννήσου, πολλὰς δὲ μουσουργοὺς ἐξ Ἰωνίας, ἑτέρας δὲ παιδίσκας ἐξ ἁπάσης τῆς Ἑλλάδος, τὰς μὲν ᾠδικὰς, τὰς δὲ ὀρχηστρικάς· ὧν εἴθίστο μετὰ τῶν φίλων ἀγῶνας τιθέναι, καὶ μεθ' ὧν συνουσιάζων διέτριβε· χαίρων μὲν τῷ βίῳ τῷ τοιούτῳ, καὶ δοῦλος ὢν φύσει τῶν ἡδονῶν, ἔτι δὲ μᾶλλον πρὸς τὸν Νικοκλέα φιλοτιμούμενος. Ἐτύγχανον γὰρ ὑπερφιλοτίμως ἔχοντες πρὸς ἀλλήλους καὶ σπουδάζων ἑκάτερος αὐτὸς ἥδιον καὶ ῥᾳθυμότερον ποιεῖσθαι τὸν βίον· οἵ γε προςῆλθον εἰς τοσαύτην ἅμιλλαν, ὡς ἡμεῖς ἀκούομεν, ὥστε πυνθανόμενοι παρὰ τῶν ἀφικνουμένων τάς τε παρασκευὰς τῶν οἰκιῶν καὶ τὰς πολυτελείας τῶν θυσιῶν τὰς παρ' ἑκατέρῳ γινομένας ἐφιλονείκουν ὑπερβάλλεσθαι

quibus rebus occupatos Pheaces finxit Homerus, dies festos celebrantes potantesque et citharoedos cantoresque audientes; talibus rebus Strato per longum temporis spatium continuam operam dedit: et tanto maiore, quam illi, furore ad voluptates ferebatur, ut, quum Pheaces (ut ait Homerus) cum propriis uxoribus filiabusque compotationes instituerent, ille cum tibicinis et psaltriis et citharistriis ageret coetus, accessito magno meretricum numero ex Peloponneso, et musices peritarum ex Ionia, aliarumque puellarum ex universa Graecia, partim cantatricum, partim saltatricum, quarum etiam ludos et certamina instituere solebat cum amicis, et cum illis continuo consuescere. Nam et per se delectabatur tali vitae genere, et natura servus erat voluptatum; sed magis etiam ad id ipsum agebat aemulatio, qua cum Nicocle contendebat. Mira enim ambitione hi duo inter sese decertabant, uterque studens delicata vita et molitie superare alterum. Quae inter illos aemulatio, quod quidem accepimus, eousque progressa est, ut ex advenientibus uterque percunctatus quisnam esset apud alterum apparatus aedium, et quae-

τοῖς τοιούτοις ἀλλήλους. Ἐσπούδαζον δὲ δοκεῖν εὐδαίμονες εἶναι καὶ μακαρίστοι. Οὐ μὴν περί γε τὴν τοῦ βίου τελευτὴν διηντύχησαν, ἀλλ' ἀμφότεροι βιαίῳ θανάτῳ διεφθάρησαν." *Muller. Fragm. Histor. Graec.* Parisiis 1841 I. 299.

nam sacrificiorum epularumque magnificentia, omni studio eniteretur, ut illum talibus in rebus antecelleret. Summumque studium ambo in eo posuerunt, ut felices esse viderentur beatique praedicarentur. Nec vero ad finem usque vitae felicitas illa duravit, uterque enim violenta morte periit.

Vincentius noster eadem de Stratone et Nicocle indicare videtur, verbis: *Stratonis licet ambitio derisa.* Quorum notitia ex ipso Theopompo, quem dubito an norit, non necessario illi erat haurienda, dum in Trogo, qui Theopompi auctoritatem in primis habuit, eadem reperiebantur; neque fieri poterat quin Trogus eadem silentio praeteriiset. Equidem verum est, Stratonem Iustini Tyriorum regem dici; Stratonem autem apud Theopompum *Σιδώνιων βασιλεύς* esse appellatum, quod tamen nullam involvit difficultatem: notum enim est, Tyrum a pristinis incolis urbis Sidoniae fuisse conditam (Iust. XVIII. 3.) quo factum est, ut complures scriptores nominibus harum urbium promiscue usi fuerint. Sic *Abdolonymum* Iustinus (XI. 10.) *Sidoniae;* at Diodorus Siculus (XVIII. 46.) *Tyri* regem adpellat. Reliqua hujus fragmenti verba, paucis discrepantibus, in Iustino (XVIII. 3.) reperiuntur. De Stratonis morte vide Hieronym. contra Iovinianum I. 27.

### IN FRAGMENTUM 24.

*Triumphis dives.* Iustinus libro XIX dicit Hasdrubalem quater triumphum egisse, et undecies dictatorem dictum fuisse. Atque in hoc libro, credo, Trogum de origine triumphi tractasse.

### IN FRAGMENTUM 26.

*Hiero quoque.* Cf. Iustinum XXIII. 14., et Joannis Saresb. *Polycr.* I. 13.

IN PROLOGUM LIBRI XXIV.

*cum Monunio.* Nomen huius regis Illyriorum, qui unus Glauciae filiorum, a Plutarcho (in Pyrrh. c. 4) memoratorum, esse videtur, legitur in numo veteri: *ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΟΝΟΥΝΙΟΥ. ΔΥΡΡΑ.* Vid. Eckhel Jos. Doctr. num. vet. Vindob. 1792—1828 4. P. I. vol. 2. pag. 157.

IN FRAGMENTUM 27.

*Galli enim ut ait Trogus.* Fragmentum hoc typis mandabam tale, quale in notis mihi codicibus manuscriptis Chronici Vincentiani reperiebam. At est, quod moneam, in antiquis huius Chronici codicibus verba Chronographi nostri a verbis Iustini (XXIV. 4) multo magis discrepasse. In Chronicis Polonorum curis Sommersbergeri et Cl. Stenzel editis, quae nonnisi compendium breve Chronici Vincentiani exhibent, sed compendium antiquissimum, nam ultra annum 1359 resurgens, fragmentum hocce ita sonat.

»Galli enim, ut ait Trogus, cum eos patria non caperet, trecenta millia ad sedes novas quaerendas ultra Istrum et citra miserunt. Ex eis in Italia consedit portio quae Romam captam incendit; alia per strages barbarorum penetrans, in Pannonia consedit, ibi victis Pannoniis cum finitimis multa bella gesserunt Lechitis (Linchitis)."

Hanc lectionem ex codice manuscripto, (autographo ut Rungius putabat,) profert Sommersberg. in *Script. rer. Siles.* I. pag. 2. (ed. Lips. 1729). At Cl. Stenzel aliam, paulo differentem, protulit in *Script. rer. Siles.* I. 2. (Vratisl. 1835.) Iam vero fragmentum hocce, iuxta lectionem Sommersbergeri excussum, nihil continere, quod in contextu ipsius Trogi esse non posset, in opere meo *Wstęp krytyczny* Leopoli 1850 typis mandato, uberius probare conabar. (Vid. pag. 260—264 eiusd. op.)

IN FRAGMENTUM 28.

*Sosthenes, licet ignobilis.* Cf. Iust. XXIV. 5. 6.

IN FRAGMENTUM 29.

*ac Pausania.* Nempe in Atticis c. 5. Fragmentum hocce et aliud, sub nro 15 insertum, desumpsi ex editione Iustini Parisiaca, anno 1845 ab El. Johanneau et Frid. Duebner procurata, ubi ambo, quod ego quidem scio, primum in lucem prodierunt.

IN PROLOGUM LIBRI XXXII.

*incrementa Dacorum per Burobosten.* Est hic sine dubio ille Dacorum rex, de cuius potentia Strabo (Geogr. VII. 303—305) loquitur, eumque mox *Βυρεβίςας*, mox *Βοιρεβίςας* vocat. Etiam Iornandes de eo disserit, (Get. c. 11) quem *Birruisiam* in codice Ambrosiano appellat. Auctor Prologorum saepius graecum *v* latino *u* reddit: sicque apud eum *Bithunum* pro *Bithynium*; *Ancurae*, pro *Ancyrae* reperitur. Nec aliter in autographo scriptum fuisse videbatur nomen Dacorum regis, *Burobostes* nempe pro *Byrebistas*; sed scribarum incuria detortum est in *Rubobosten*, prout nunc in codicibus Prologorum invenitur. In Chronicis Polonorum Miersuae et Vincentii Cadlubonis curiosa, ex fontibus hodie ignotis deprompta, descriptio reperitur: quomodo rex iste ex humili conditione ad regiam dignitatem evectus sit. Vide *Wstęp krytyczny* p. 339 et Leleweli *Polska śred. wiek.* tom. IV. p. 490.

IN FRAGMENTUM 30.

Fragmentum hocce, uti etiam 31 et 45, sumpsi e codice manuscripto bibliothecae Ossolinianae, qui in veteri Catalogo, inter quaterniones numero I signabatur, in novo vero Inventario sub numero 601 reperitur. Est hic codex chartaceus 602 foliis constans, continetque partim opera integra, quae quondam ipsa opera separata efficiebant, partim compendia diversorum operum, denique sententias singulas et descriptiones ex iisdem excerptas. Et ad priora quidem spectant 1) Persii Flacci Satyrae, (f. 1—13) sine titulo, minusculis seculo XIV exeunte aut ineunte XV scriptae, cum commentariolo in marginibus, cursivo charactere exarato. Opusculum hocce, non est integrum, in ultimo namque (13) folio legitur infra: *sequitur satira quinta*, estque haec reapse sa-

tirae quartae inscriptio: prima enim, cum Prologo mixta, divisa est in duas, sua cuique inscriptio data, earumque quaevis 68 versibus constat. 2) *Eticorum Aristotelis libri decem secundum s. Tho(mam) et Albertum* (f. 80—109); horum paginae complures mancae, earumque ordo confusus. 3) *Tractatus de virtutibus moralibus Aristotelis* (f. 110—120) litera gothica, accurate ac ornate scriptus. 4) Marci Tullii Ciceronis epistolae (f. 380—602) cum commentariolo ac indice, nitidissime scriptae, cum inscriptionibus minio exaratis. Sub finem harum epistolarum, folio 600 infra, additum est rubro colore: *Marci Tullii Ciceronis Ep(isto)lar(um) liber sedecimus et ultimus explicit felicit(er), et sunt finite per Iacobum de Cossow in vigilia sancte Zophie Crac(ovie) in Bursa I(e)r(oso)lim(itana) reportate Anno D. MCCCCLXIX.* In compendio tantum exhibitus hic est: *Ciceronis liber de amicitia* (f. 63—71) nec non *Paradoxa* eiusdem (f. 72—76); sub finem prioris legimus: *Finis libri M. T. Ciceronis de Amicitia, non de verbo ad verbum; sed clausulas pulceriores excerpendo. Ibi autem dimissum aliquid putes, ubi paragraphum videris.* Reliquum codicem explent sic dicta Miscellanea in duas partes divisa, quarum prior (f. 14—61) excerpta ex Romanis auctoribus classicis, posterior vero (folio 121—379) ex auctoribus medii aevi potissimum continet, videlicet: ex Aenea Silvio, Poggio Florentino, Leonardo Aretino, Paulo de Robobellis etc. Scripta sunt haec Miscellanea litera gothica, cursiva, seculo decimo quinto, totusque codex iste, sub finem eiusdem seculi in hanc, quam nunc exhibet, formam compositus esse videtur, tabulis fagineis ligatus et dorsum corio tectum. In prima codicis huius pagina, superius legimus: *Libellus olim Domi(ni) Ioannis Lathoschynsky.* Hunc constat Romae Doctorem Decretorum creatum, postea munere Canonici ac Officialis Capituli Cracoviensis functum, nec non ad dignitatem Rectoris Universitatis Cracoviensis evectum fuisse. Contemporaneus ille Ioannis Długossii, celebris gestorum Polonorum scriptoris, familiariter eodem usus erat, simulque ambo anno 1475, nuntii in Hungariam ad regem Mathiam Corvinum a Casimiro Iagellonide missi sunt, ut de terris Russiae et Valachiae cum illo agerent. Moribundus, Capitulo Cracoviensi insignem codicum

manuscriptorum collectionem legavit, quorum sex contigit mihi nuper videre apud Illustrissimum Ludovicum Łętowski, Episcopum Ioppensem et Capituli Cracoviensis Decanum. Horum codicum cuique est eadem, ut in codice bibliothecae Ossolinianae, manu exarata inscriptio, sequentis tenoris: *Liber olim Domini Ioannis Latoszyński*, nec est dubium, quin etiam codex manuscriptus, de quo hic sermo est, olim Capituli Cracoviensis fuerit: id quod et ipsa subscriptio fol. 2 testatur; unde, quomodo in bibliothecam Ossolinianam transierit, nos plane fugit: certissime tamen ad acquisitiones primas ipsius Iosephi Maximil. Comitis Ossoliński pertinet.

Supra iam monuimus ipsum Latoszyński cum Ioanne Długossio arctiori familiaritatis vinculo iunctum fuisse. At diligentius inquirenti, orta est persuasio, codicem hunc, si non integrum, maximam certe partem opera Długossii confectum esse: namque res continet non solum ab illo compositas, sed etiam verosimillime ipsius manu scriptas [1]). Et hic quidem praecipua ratio habenda est *Miscellaneorum* eorumque partis prioris (f. 14—61), ubi inter alia etiam ex Pompeio Trogo fragmenta reperiuntur. Incipit pars haec excerptis ex epistolis Ioannis Lasocki ad varios scriptis, nec non responsionibus huc spectantibus. Harum principium deest, verum ipsis his epistolis intersertae sunt epistolae M. T. Ciceronis: unde colligere licet epistolas has praecipue ob pulchram orationem latinam, prout contigerit, conscriptas fuisse. Imo tota haec Miscellaneorum pars, 45 foliis constans, (tria enim, videlicet 51—53) vacua sunt, non alium finem, nisi studium linguae habuisse videtur, etenim folio 39 verso legimus:

*Persaepe animo meo plerosque versavi, qui diverso munerum genere principes donare solent; sed munera illa parum vel ferme nihil utilitatis principibus parant, cum et principes talibus abundant. Ego vero singularem rem, admodum praeciosissimam, dono tuae maiestati mittere decrevi, quae regiae necessaria ma-*

---

[1]) Scripturam *Miscellaneorum* contuli cum epistolis Ioannis Długossii authographis, quae in bibliotheca Vladimiri Comitis Dzieduszycki in Poturzyce reperiuntur, eamque magna ex parte valde similem inveni.

*iestati esse videtur, et quanto frequentius in usu erit, tanto maiorem serenitati tuae fructum afferat: libellum scilicet de amici et assentatoris doctrina, de Guarino Veronensi compilatum.*

Allatis hic pluribus locis ex supra memorato opere Guarini, qui exscripserat, rem claudit his verbis:

*Haec tibi loquelae vir amplissime et mi rex benignissime! munera deferuntur, duce Plutarcho, comite Guarino suo, quae si tibi non ingrata cognoscam, ad reliqua studium excitabis: honos enim, ait Tullius, alit artes.*

E quibus patet, excerpta haec a praeceptore regi ac discipulo fuisse comparata. Notum autem est Ioannem Dlugossium filiorum Casimiri Iagellonidis, regis Poloniae, institutorem fuisse, quorum maximus natu, Vladislaus, anno aetatis suae decimo quinto electus est rex Bohemiae. Cui, iter Pragam facienti, additus est inter alios comites praeceptor suus, Ioannes Dlugossius, anno 1471, qui penes regem, quondam discipulum suum, per sex hebdomades commoratus, eum consiliis praeceptisque adiuvabat; in cuius usum excerpta supra allata comparaverat. Iam vero ulterius, folio 50 huius codicis orationes adducuntur a filiis Casimiri Iagellonidis, nimirum a Casimiro, Alexandro et Albrecht o habitae, ad salutandum Cardinalem Marcum, qui legatus a Sixto IV pontifice in Poloniam anno 1473 missus est. Etiam folio 220, qui nonnisi casu fortuito in partem Miscellaneorum secundam irrepsisse videtur, invenitur *Oratio in adventum legati Cardinalis*, qua Dlugossius ipse eundem legatum Marcum anno 1473 salutavit eamque sua, ut puto, manu hic scripsit. In qua inter alia haec leguntur verba: *Sed et ego senex* [1]), *veluti ille vetus Simeon longe mihi dispar in merito, expectans expectavi te dominum venturum, pro hoc ingentes preces fundebam ad dominum Deum, et nunc, cum te cunctis desideratum video sanum et prosperum feliciter advenisse, laudo creatorem omnium, qui intendit mihi, felicem me putans, quod adimplevit cordis mei desiderium* etc. In hac ergo parte priori Miscellaneorum, excerpta reperiun-

---

[1]) Agebat tum Dlugossius noster 59 annum vitae, atque septem annis post obiit.

tur modo breviora modo longiora ex sequentibus auctoribus classicis Romanis deprompta: ex Sallustio, Cicerone, Seneca, Valerio Maximo, Vegetio, Terrentio, Horatio, Ovidio, porro ex Pompeio Trogo et Curtio. At compilatori ad manus fuisse videtur codex qui Trogum et Curtium simul continebat: namque loca ex hisce auctoribus deprompta non sat separata adparent, quinimo interdum promiscue adferuntur. Sic folio 56 verso, supra legimus inscriptionem: *Trog⁹ Pom(peius) De bello Gothorum;* folio vero 59 medio similis est inscriptio: *Ex Q(ui)nto Curtio.* Tamen ex ipso Trogo in supra dicto folio nonnisi 28 versus adducuntur, quos characteribus paulo minoribus sed eadem manu scripta haec sequuntur:

»Tum vero ira quoque accensi tela iniiciunt in regem, sc. Darium, multisque confossum vulneribus relinquunt. Iumenta quoque, ne longius prosequi possent, convulnerantur."

Quod fragmentum ad verbum in Curtio V. 13. reperitur. Sequitur aliud fragmentum, quod in Curtio frustra quaesiveris et quod iterum Trogi esse videtur: hocce sub numero 45 dedimus. Reliqua omnia excerpta ab hinc usque ad folium 61 e Curtio deprompta sunt, siquidem paucis mutatis in opere huius *De rebus Alexandri* inveniuntur. Folio 57 verso codicis nostri, inscriptioni additus est quoque Curtiani libri numerus: *Oratio Scytarum li(bro) VI.* Quae oratio reapse libro septimo continetur, iuxta divisionem hodie a philologis probatam; liceat tamen hic loci monere, quod Raderus codicis Petri Danielis auctoritati innixus protulit, operi huic Curtiano, prout ad nos pervenit, unum tantum non duos libros prioros deficere. Quam opinionem codex noster firmare videtur. Sunt denique excerpta haec sat longa atque passim explicationibus ab ipso, ut mihi videtur, Długossio adumbrata, servantque hunc ordinem: V. 13. VI. 9. 10. VII. 4. 7. 8. 9. VIII. 4. 5. 9. IX. 2. 3. 6. Hic modo inscriptio sequitur: *Ex Q(ui)nto Curtio* ac infra illam excerpta ex libris prioribus, nempe: III. 1. 2. 3. IV. 1. 4. 8. 10. V. 1. IV. 12. 10. 11. sibi succedunt, finiuntque folio 61. infra. Iuvat meminisse, Długossium etiam in opere suo: *Historia Polonorum* VI. 645, locum ex Pompeio Tro-

go laudasse, qui a contextu Iustini differt, atque a nobis sub numero 43 allatus reperitur.

*Getarumque invasionis.* Quae hic commemorantur, tam quoad tempus, quam quoad singula facta nuspiam memoria tradita reperimus; dolendum igitur eo magis, quod nonnisi initium descriptionis huius ad nos pervenerit. Iam vero nomen Getarum tribus praecipue vicibus Romanis terrorem incussit: primo temporibus Persei, Macedonum regis; dein sub magno Getarum rege Byrebista; postremo vero bello inter Octavianum et Antonium exorto. Et primis hisce temporibus nullum quidem reperimus vestigium Getarum in Italiam invasionis; verum haud obscura huius indicia apparent in bello civili inter Octavianum et Antonium. Namque ante pugnam ad Actium, qua sors Antonii decreta est, Getarum rex potens *Dicomos*, apud Iornandem et in numis veteribus *Comosicus* appellatus, a partibus huius stetit. Plutarchus (Vit. Anton. c. 63) refert regem hunc magno cum exercitu Italiam invadere voluisse. Nec operam hanc frustra insumpsisse videtur, ut ex ipso Horatio Flacco et Dione Cassio liquet, quorum alter in ode sua circa annum 31 scripta (Carm. lib. III. od. 6) cum horrore exclamat:

Paene occupatam seditionibus
Delevit urbem Dacus et Aethiops:
Hic classe formidatus; ille
Missilibus melior sagittis.

Alter (Hist. Ll. 22) narrat, Octavianum devicto Antonio triumphantem secutos esse Dacos captos. Invasio itaque Getarum de qua Trogus hic loci tractabat ad annum 31 ante Chr. natum referenda est. Atque tum temporis, ut ex verbis Eusebii inferre licet [1]), incursionibus suis usque Delphos progressi sunt, ubi Apollinis templum tertium cremaverunt.

*Xenophontem... cum obsidionem et famem ac diruta moenia Athenarum descripsit.* Vide eiusdem *Ἑλληνικὰ* II. 2. 6—14. Cf. etiam Iust. VI. 5. Isaacus Vossius bene animadvertit, errorem quo-

---

[1]) »Delphicum quidem oraculum ter a Thracibus concrematum fuisse traditur." Euseb. Praep. IV. 1.

que hic loci in Iustino occurentem, e Xenophonte, quem Trogus, ut hic perspicuum fit, permagni faciebat, corrigi posse.

*Neque Livius noster.* Getarum in Italiam invasionem etiam a Livio descriptam fuisse vix dubitari potest, namque hic Romanorum res gestas ab urbe condita usque ad Drusi mortem opere suo complexus erat. His itaque verbis Trogus innuit Gallorum in Italiam invasionem Livio auctore, qui eam lib. V. 34—50 refert; dein Pauli Aemilii de Macedonibus triumphum, libro LI, nec non Publii Africani victorias, libro LIX descriptas. Horum librorum nonnisi epitomae ad notitiam nostram pervenerunt. Quoniam vero descriptionem eiusmodi in opere Livii indicando, ipsa Getarum invasione innuenda supersedebat, manifestum est, Livii opus tum temporis quo haec scripserat, nondum finitum fuisse, ac ipsum Trogum in narrandis his rebus gestis Livio antevertisse. Atque pugnam Actiacam primum lib. CXXXIII Livius describit; nec dubium, quin eodem loco haec quoque ab auctore relata fuerint, quae, ut diximus, simul evenisse videntur.

### IN FRAGMENTUM 31.

*Diligentis siquidem viri.* Fragmentum hoc in codice manuscripto bibliothecae Ossolinianae a praecedente ita tantum separatum est, ut a linea incipit, quare etiam illi hic locum dare volebam. Fieri tamen poterat, ut ex alio libro depromptum sit ac illud, quod praecedit. Et fortasse magis rei consentaneum esset, si ad librum XLIII referatur, ubi Trogus de eo quod probi civis sit, disseruisse videtur »ingrati civis officium existimans, si cum omnium gentium res gestas illustraverit, de sola tantum patria taceat." (Iust. XLIII. 1.)

### IN FRAGMENTUM 32.

Chronici Vincentiani pars prima hac peculiari gaudet specie, ut adinstar Dialogi inter Matthaeum et Ioannem sit exarata. Auctor egregios illos Ciceronis de Amicitia et de Republica Dialogos prae oculis habuisse videtur, unde non solum modos loquendi, verum integras nonnumquam periodos assumpsit. Intro-

ductus in colloquium Matthaeus, est eruditione clarus episcopus Cracoviensis, notus ex epistola, quam circa an. 1150 ad Bernardum Abbatem Clarevallensem scripserat, in Pezzii Thesauro Anecd. V. 360 et in opere meo *Wstęp krytyczny* p. 96 typis vulgata. Scripsit hic etiam Polonorum Chronicon, quod tamen non in genuina sua, verum in *meliori*, ut visum est, a Vincentio redacta *forma* ad nos pervenit. Colloquentium alter Ioannes, Vratislaviensis episcopus, postea vero Archiepiscopus Gnesnensis, vir pietate insignis, Matthaeum ita rogat:

*Quaeso, mi Matthaee! sub quonam conceptam existimabimus nostrorum constitutionum infantiam? Nos enim hodierni sumus, nec ulla hesternitatis est in nobis cana scientia.*

Matthaeus, cuius eruditio in scriptoribus classicis iam ex supramemorata ad Bernardum epistola apparet, ita Ioanni respondet.

*Scis quod in antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia; me vero in hac parte antiquorum infantulum esse fateor: ut etiam utrum huius instantis simplex aliqua praecesserit portiuncula prorsus non noverim; quod tamen perveridica maiorum narratione* [1]) *addidici, non silebo. Narrabat itaque grandis natu quidam etc.*

Tam ex singulari ipsius Matthaei in veteres scriptores observantia, quam ex sequentibus paulo post a Ioanne allatis verbis: *quidquid asseris verum ac serium esse ex antiqua praesumitur historia, ait enim Trogus* patet, verba Matthaei: *narrabat grandis natu* non ad quemdam coëvorum Chronographi, sed ad scriptorem veterem referri debere. Quod, quum finis narrationis hic allatae, in epitome Trogi a Iustino comparata ad verbum reperiatur, vix dubitare licet, quin et integrum hocce fragmentum ex Trogo depromptum sit. In nonnulis codicibus manuscriptis Vincentii verba *grandis natu* superscriptam habent glossam: *senex progenie, vel grandaevus prosapia.* Cui eo lubentius

---

[1]) Auctorem *severissimum* vocat Plinius (Hist. Nat. XI. 114) Pompeium Trogum; quam eius laudem in mente habuisse videtur Matthaeus, cum ex historia Trogi allata, *perveridicam maiorum narrationem* asserit.

assentiendum putamus, dum constat, maiores Trogi in gentem Pompeianam fuisse susceptos, et ipsum historiographi genitorem, Iulii Caesaris temporibus ad amplissimos dignitatis gradus provectum fuisse.

Sunt autem in hoc fragmento, prout illud in hodiernis codicibus Vincentii legimus, omissa atque corrupta contextus Trogiani verba. Hoc vel inde ortum esse putaverim, quod Vincentius, artium liberalium magister, chronicon Matthaei, in *meliorem* ut putabat, *formam* redigendo, Dialogorum Ciceronis imitandorum magis, ac orationis Trogianae imagini fideliter exhibendae operam dedit.

*Infinitissimae numerositatis manum quondam in Illyrico viguisse.* Eandem, de magno in Illyrico incolarum numero, notitiam dat Scymnus Chius, qui hic loci aut ipse fons Trogo fuit, aut, quod verosimilius esse videtur, cum hoc ex eodem fonte, Theopompo Chio, ut crediderim, notitiam suam hausit. En verba eius:

*Ἡ δ' Ἰλλυρὶς μετὰ ταῦτα παρατείνουσα γῆ*
*ἔθνη περιέχει πολλά· πλήθη γὰρ συχνά*
*τῶν Ἰλλυριῶν λέγουσιν εἶναι καὶ τὰ μέν*
*αὐτῶν κατοικεῖν τὴν μεσόγειον νεμόμενα,*
*ἃ δὲ τὴν παραλίαν ἐντὸς ἐπέχειν Ἀδρίου,*
*καί τινα μὲν αὐτῶν βασιλικαῖς ἐξουσίαις*
*ὑπήκοα εἶναι, τινὰ δὲ καὶ μοναρχίαις,*
*ἃ δ' αὐτονομεῖσθαι· θεοσεβεῖς δ' αὐτοὺς ἄγαν*
*καὶ σφόδρα δικαίους φασὶ καὶ φιλοξένους,*
*κοινωνικὴν διάθεσιν ἠγαπηκότας*
*εἶναι, βίον ζηλοῦν τε κοσμιώτατον* [1]. *Scymni Chii Perieg.* v. 415—425.

---

[1]) Porrecta deinceps Illyris, quamplurimas gentes coërcet: nam frequentes admodum extare turbas hominum in Illyride ferunt, quorum una pars remota degit a mari, pars alia litus Adriae internum occupat, pars obtemperat regiae potestiae,

Nec aliter idem paulo superius:

*Τὸν κόλπον ἱστοροῦσι τὸν Ἀδριατικὸν*
*τῶν βαβάρων πλῆθός τι περιοικεῖν κυκλῳ*
*ἑκατὸν σχεδὸν μυριάσι πεντήκοντά τε*
*χώραν ἀρίστην νεμομένων καὶ καρπίμην* [1]). *Idem* v. 375 —378.

Etiam Strabo (Geog. VII. 327) de magna in Illyrico habitantium copia refert:

*Τότε μὲν ὖν, ὡς εἶπον καίπερ οὖσα τραχεῖα καὶ ὀρων πλήρης, Ταμάρου καὶ Πολυάνου, καὶ ἄλλων πλειόνων, ὅμως ευανδρει ἥ τε Ηπειρος πασα καὶ ἡ Ιλλυρίς.*

Ac priscis quidem temporibus, sicuti monui, quanquam et aspera esset et montium plena, ut Tamaro, Polyano et aliis compluribus: tamen hominum copia florebat et Epirus universa et Illyricum.

Horum itaque locorum auctoritate fretus, nec non habita eius ratione, quod inferius in hoc ipso fragmento *τὸ Illos* in Vincentii codice membranaceo Petropolitano litera initiali scriptum, contractionem *Illyrios* prodit, *τὸ hic* quod eodem loco in codicibus Vincentii occurit, verbis *in Illyrico* reddendum arbitrabar.

*ut tanti regni immensitas.* Nempe quanta est regni Macedonici. Est enim Macedonia Trogo historiographo annuli instar, quo totius mundi gentes ac nationes iunguntur, quarum res gestae in illo tanquam in foco suo colliguntur ac sub lectoris obtutum sistuntur. Quapropter etiam operi suo nomen *Phillipicarum*, id est, Macedonicarum *historiarum* esse voluit. Atque nunc

---

pars alia servit unius libidini,
pars legibus vivit suis: piissimos
eos ferunt, iustosque et hospitibus bonos,
civilem amare societatem maxime,
Studere vitae et moribus cultissimis.

[1]) Ferunt nonnulli sinum hunc Adriaticum
turbis quibusdam barbarorum cingier
ad quinquaginta supra centum miriades,
agrum optimum atque fertilem colentium.

in ipso XXXII libro, ut ex Prologo huius libri apparet, de Macedonia tractanti, et ad veteres Illyrios eorumque soboles, Dacos, transgresso, Macedonia ante oculos versatur, quare ad illam quoque verba supra allata referre videtur. Fieri tamen potuit, ut verba: »quanta est regni Macedonici" errore librariorum, aut ipsius Vincentii incuria omissa fuerint.

*Adeo Illyrios.* In editione Varsoviensi et in codice Vincentii membranaceo Petropolitano scriptum est *Illos;* initiale tamen *I* prodit vocem hanc per contractionem *Illyrios* ab initio designasse.

*non dominandi ambitus.* Confer cum iis, quae hac de re Xenophon in Cyropedia II. 4. de Illyriis narrat.

*sed adultae robur animositatis exercebat.* Congruunt haec cum verbis Trogi superius de Illyriis allatis: »Illyrici et Thraces quotidiano exercitio indurati etc." Vid. fragm. 16.

*ut suarum accessiones virtutum nullis usque terminis limitarent.* In codice manuscripto bibliothecae Ossolinianae Nr. 667, excerpta ex variis auctoribus continente, sequentia pag. 84 leguntur: »Getae nullos habent in agris limites, eo quod habent segetes communes." Compilator, unde locum sumpserit, nequaquam dicit, at eadem omnino de Getis Horatius quoque refert Carm. III. od. 24 v. 11. sqq.

Vivunt et rigidi Getae,
Immetata quibus iugera liberas
Fruges et Cererem ferunt,
Nec cultura placet longior annua,
Defunctumque laboribus
Aequali recreat sorte vicarius.

Idem quoque de Dalmatis Strabo (Geog. VII. 315) notat.

*Hi etiam transmarinorum fines suae titulis victoriae asculpserunt.* Illyriorum natio olim celeberrima Adriatico simul ac Ionico mari nomen dabat, quorum utrumque *Illyrici maris* nomine veteres complectebantur (Callim. ap. Strab. I. 46 Apoll. Argon. IV.). Ipse Adrius a quo mare hoc nomen postea sortitum est, gen-

te Illyrius fuisse putabatur (Theopomp. fr. 140). Mare hoc antiquo nomine compellat adhuc Trogus (ap. Iust. XXIV. 4). Insulae in litoribus eius sitae, uti Corcyra, Pharos ac Issa, frequentius ab Illyriis bello navali petitae atque possessae fuere (Strab. Geogr. VI. 269. Thucyd. Bell. Pel. I. 26—30 Diod. Sic. Bibl. XV. 13. 14). Sed et Italiae fines olim a pluribus Thraco-Illyriis populis occupatos atque detentos fuisse novimus. Sic Plinius de antiquis possessoribus Umbriae narrat: »Siculi et Liburni plurima eius tractus tenuere, imprimis Palmensem, Praetutiacum Adrianumque agrum" (Hist. Nat. III. 9. 1). Ad Thraco-Illyriorum gentem pertinent etiam sequentes Italiae populi: Apuli (Strab. VI. 285), Dauni (Fest. v. Dauni; Tzetz. Hist. var. Chyl. I. p. 60), Iapygi (Ant. Liber. fab. 8), Pediculi (Plin. H. N. III. 16. 3), Peligni (Fest. v. Peligni) et Salentini (Varr. Antiq. rer. hum. III. fr. 2). Quam Illyriorum antiquorum potentiam ac gloriam auctor allatis supra verbis ostendit.

*Etiam Dalmaticas insulas.* Codices mss. Vincentii, iique optimi, *Danomaticas*, *Danomalthicas* et similes exhibent denominationes. In codice XXVI anno 1449 exarato, (Vid. *Wstęp krytyczny* p. 149) huic nomini supra adiecta reperitur glossa contemporanea *Dalmacias*, quam sequendam esse putabam. Erant autem hae insulae, ut in priori adnotatione dictum est: Pharos, Corcyra ac Issa. Postremam hanc Stephani Byzantani epitomator dicit sitam esse *in Dalmatico mari et Illyrico.*

*navalibus fudere proeliis.* Navale cum Corinthiis proelium, quo Illyrii Corcyraeorum socii superiores discesserant, ut supra memoravi, Thucydides (Bell. Pel. I. 26—30) exponit; similemque pugnam, pugnatam circa annum 385 ante Chr. nat. contra Graecas colonias in insula Pharo sitas, Diodorus Siculus (Bibl. hist. XV. 13. 14) refert.

*omnem clientulorum subiiciunt nationem.* Nempe, clientulorum *Macedonicorum.* Ex multis enim gentibus parvis, regnum Macedonicum ortum est, quae suis quondam regibus paruerunt, ac tandem Philippi regis opera in unum regnum coaluere, quem-

admodum id Iustinus VIII 6., Trogo auctore, refert: »atque ita ex multis gentibus nationibusque unum regnum populumque (Philippus) constituit." Id quoque allata fragmenti verba innuere videntur. Fieri tamen poterat, ut vox *clientulorum* ex nomine gentis cuiusdam contorta sit, eo magis, quod nulli dubio subiacet, codices manuscriptos Vincentii admodum fuisse depravatos. Iam vero doctus ac intelligens rerum antiquitatis existimator, Ioannes Wagilewicz, arbitratur pro *clientulorum* fuisse in autographo *Aematiorum;* uti et superius pro *Danomaticas insulas*, *Taulanticas* legere suadet, quae vero, quum nulla in codicibus Vincentii vestigia eiusmodi reperi, ita corrigere non sum ausus.

*rege quoque ipsorum Amynta in vincula coniecto.* Stanislaus Sarnicki in Annalibus Polonorum I. 40 (ed. Crac. 1587) dicit: »Traditum est ergo Amyntam, regem Macedonum, paulo ante Alexandrum Magnum, captum fuisse in proelio ab Illyriis." Quae *res* omni dubio maior esse videtur, quamquam alii rerum gestarum scriptores de ea sileant. Martinus etiam Bielski ex fonte quodam antiquo sequentia de hoc Mecedonum rege tradit: »Amyntas, Macedonum rex, exercitum adversus eos (Pannonios) congregavit; verum ab iis fusus, vectigalia pendere, filiumque suum *obsidem* dare coactus est. Quam cladem ulturus erat Perdiccas; sed victus proelio, captivitatem subiit." (Chron. mundi f. 296).

Est haec communis eruditorum virorum quaerela, quod quae de Amynta Macedonum rege prodita sunt, nonnisi repugnantia sibi, ac proin explicatu difficilia esse videantur. Hanc ego difficultatem vel inde nasci crediderim, quod duo diversa bella ab Illyriis cum Amynta gesta secum confundantur; quae, ut discernantur, iam in ipso Diodoro Siculo vestigia quaedam haud *obscura* reperiuntur. Verum res ista luce clarior fit, dum fragmentum supra allatum et, quae a Bielski consignata est, notitia cum illis conferuntur, quae ab Isocrate, Xenophonte, Diodoro Siculo, Syncello aliisque referuntur, ipsaque series rerum, quae evenerant, ita verosimillime construi potest. Bardillis cum exercitu Illyrio Macedoniam circa annum 390 ante Chr. nat., aggressus est. Ubi quidem per aliquod iam tempus Amyntas regnabat,

at populi favor inter alios, cum eo de solio decertantes, divisus erat (Syncell. Chronogr. p. 500 ed. Bonn.). Idem Bardillis exercitum Amyntae clade affecit, Macedonum regem cepit, huiusque regnum Argaeo dedit, quem socium sibi, fide accepta, adscivit. Quo facto Amyntas, ut vitae suae parceretur, regia dignitate sese abdicavit (Diod. Sic. XIV. 92.; Isocr. in Archid. 183). At Argaeus postquam per annum unum et dimidium fidem servaverat, consilium foederis rumpendi cepisse videtur, etenim Amyntae, perdita iam spe solii recuperandi, subito spes haec nata est, qui paulo post, occupata parva quadam in limitibus regni arce, Thessalis adiuvantibus, intra trimestre universam Macedoniam Argaeo eripuit (Isocr. ibid.). Tum vero felici belli eventu incitatus, cupidine ductus est, sese ab hoc cum Illyriis nexu eliberandi, quem in finem copias, ut Bielski ex fonte ignoto refert, congregavit; tamen victus, filium suum Philippum obsidem dedit (Diod. XVI. 2). Atque ex hoc idem tempore socius Illyriorum fidelis per annos viginti quatuor mansit (Diod. XIV. 92). Durabat itaque haec Macedonum conditio, qua Illyriorum imperio subiecti erant, etiam mortuo Amynta, usque ad proelium ingens inter Philippum et Bardillim, anno 359 dimicatum, ex quo dein Macedoniae libertas ac incrementa tuta esse coeperunt.

*Huius vero Amyntae nepos.* Nempe Alexander Magnus.

*avitam ulcisci volens iniuriam.* Inter Illyriorum et Macedonum reges odium quoddam haereditarium, a maioribus ad posteros transmissum, abhinc extitisse constat. De quo Diodorus Siculus XVII. 69. sic refert: »In Macedonia interim Philippus odii Illyriorum quod quasi haereditarium a patre acceperat, et controversiae, quam pertinaciter fovebat, stimulis incitatus" etc. Idem et Trogus ap. Iust. XXIX. 1. »Philippum Dardani ceterique omnes finitimi populi, quibus velut immortale odium cum Macedonum regibus erat.. assidue lacessabant."

*quam extorquere non poterat.* Ipsa Trogi verba hoc loco laesa esse extra dubium est, neque ex codicibus Vincentii, mihi notis, contextus restitui potest. Verum si accuratius perpendantur, quae auctor refert, fatendum est, expeditionem primam

contra Illyrios ab Alexandro susceptam non ex sententia cessisse, clademque acceptam iam ex descriptione Arriani, laudibus haud vacua, adparere (Anab. V—VI). Quin et ipse Alexander, apud Plutarchum, bellum hoc infeliciter gestum indubie significat, dicens: »Primo apud Illyrios caput mihi saxo, cervix vecte contusa est" (De Alex. Mag. sive fort. sive virt. Orat. I). Antiqui rerum Polonorum scriptores, ex quibusdam ignotis nostro tempori fontibus haurientes, de hac Alexandri Magni clade multa disserunt, auctorem huius Glauciam, posthac regem Illyriorum factum, Lestconem I appellantes. Vide *Wstęp krytyczny* p. 288, 310 sqq.

*Quia enim Daci.* Ante haec ipsa verba, nonnulla in contextu orationis omissa esse videntur. Consilium tamen Trogi, ut ex nexu illorum, quae praecedunt, cum sequentibus elucescit, manifestum fuit: ut exemplum disciplinae veterum Illyrio-Dacorum proferret, ac propterea illud in recentibus, tempore Octaviani Augusti, gestis Dacorum regis Rolae vel Orolae aperuit. Ut autem intelligamus, qui fieri potuerit, ut Trogus inceptam de Illyriis narrationem relatione de Dacis finiret, notemus necesse est, veteribus scriptoribus Illyrios, Pannonios, Getas ac Dacos pro eadem gente habitos, nominaque haec promiscue usurpata fuisse. Atque id manifestum reddit sequens Nicolai Damasceni fragmentum, qui eodem cum Trogo seculo vixerat, ac magni historiarum operis, iniuria temporum deperditi, auctor fuit. En verba eius de imperatore Octaviano Augusto:

..... *διὰ [δέ] τὸ μᾶλλον ἔτι ἔνδηλος γίνεσθαι τῇ φιλανθρωπίᾳ, ἔπεισεν ἑαυτοῦ ἀκροᾶσθαι, ὧν δὴ πρότερον οὐδὲ ὀνόματα ἠπίσταντο οἱ ἄνθρωποι, οὐδέ τινος ὑπήκοοι ἐγένοντο διὰ μνήμης, ἡμερωσάμενος, ὁπόσοι ἐντὸς Ῥήνου ποταμοῦ κατοικοῦσιν, ὑπέρ τε τὸν Ἰόνιον πόντον καὶ τὰ Ἰλλυριῶν γένη· Παννονίους αὐτοὺς καὶ Δάκας καλοῦσι. Fragm. Peirescian. 473.*

..... eo magis autem benignitate sua, publice celebrata effecit, ut sibi ii etiam obtemperarent, quorum neque nomina prius nota erant, et qui nemini post hominum memoriam subditi fuerunt, non modo quicumque circa Rhenum fluvium habitabant, sed et degentes ultra mare Ionium sibi addictas fecit gentes Illyriorum, qui Pannonii et Daci vocantur.

Erronea igitur est opinio Conradi Mannerti, Caroli Ottfriedi Muelleri multorumque aliorum eruditorum, qui asserunt Illyrios pro alia ac Thracum gente a Graecis et Romanis scriptoribus habitos fuisse. At nobis quidem veteres illos scriptores assidue volventibus persuasum est, hosce scriptores tum nonnisi nomina Illyriae et Illyriorum adhibuisse, quum potissimum regionem aut oram ab his gentibus occupatam significare vellent; qui, ubi ipsas gentes nationesque pro diversitate earum sedis, aut forte potestatis, cui parebant, in mente habuerant, propriis illas denominationibus designabant, eas Getas, Dacos, Pannonios aut Thraces appellantes. Quapropter et res gestae populorum Illyriam inhabitantium, communiter Getica aut Dacica a veteribus, nimirum a Dione Prussaeo, Critone Pierio, Cassiodoro eiusque epitomatore Iornande dicta fuere; nec quisquam veterum scriptorum de rebus ab Illyriis gestis tractans, aut incolarum mores describens, Illyrica haec vocare arbitratus est. Nostris quidem temporibus Appiani Alexandrini opus unum inscriptionem hanc prae se fert; at Photius, operis eius, dum adhuc integrum fuit, bene gnarus, illud non Illyrica verum Dacica appellat (Myriob. 50), atque id haud leviter movet, priorem inscriptionem non pro genuina esse habendam.

Narrationem Trogi primum ab allatis supra verbis usque ad finem fragmenti refert Iustinus (XXXII. 3), reiectis, a quibus illud incipit, nimirum: de Illyriorum potentia maritima; de capto Amynta, Macedonum rege; de expeditione infelici contra Illyrios ab Alexandro Magno suscepta, tandem »de originibus Pannoniorum et incrementis Dacorum per regem Byrebistam" quarum in Prologo mentio fit; atque haec omnia eodem ipso loco apud Trogum consignata fuerint necesse est. Verum etiam ex paucis, quae de hac re a Iustino simul et Vincentio narrantur, clarum fit, Polonorum Chronographum sua non ex Iustino excerpsisse, quippe cuius verba haud leviter a verbis illius discrepant.

*cum Rolo rege.* Nomen huius Getarum regis in omnibus notis mihi Chronici Vincentiani codicibus admodum est contortum. Illud enim cum adnexa appositione *rege* insciis librariis

gentis nomen, cuius gesta liber hic continebat, visum est: itaque pro *Rolo rege*, legebant *Polonis*, quem errorem iam Lelewel in opere suo *Polska średnich wieków* I. 191 correxit. Ceterum Rolum hunc, Iustini Orolem, non alium esse ac illum Rolem (*Ρώλης*), de quo Dio Cassius in Hist. Rom. LI. 23. 24. 26., tractat, in opere meo *Wstęp krytyczny* p. 234 probare conatus sum.

### IN FRAGMENTUM 33.

*Veteres historici.* Cf. Iust. XXXVI. 2—4., Tacit. Hist. V. 2—12. Bielski refert tamen hic quaedam, quae nec in Iustino nec in Tacito reperiuntur: ex quo liquet illum Trogi libros prae oculis habuisse.

### IN FRAGMENTUM 34.

Cf. Iust. XXVII. 2—3.

### IN FRAGMENTUM 35.

*Iidem Roxolani etiam cum Mithridate.* Iam hoc fragmentum solum, cuius ne vestigium quidem in Iustino reperies, plane probat, seculo XVI in Polonia praeter Iustinum, si non integrum Trogi opus, saltem huius ampla quaedam excerpta adhuc extitisse, eaque Martino Bielski ad manus fuisse. Haec de Roxolanis notitia etiam a Strabone (VII. 306) asservata est; neque illud Bielski ignoravit, alio enim loco sequentia dillucide narrat: »Ante natum adhuc Christum Roxolani cum Mithridate, Ponti rege, dimicabant; id quod Strabo geographus et Trogus historicus memoriae prodidere« (Chronicon mundi f. 336. v.). Neque suspicioni locus dari potest, acsi Bielski notitiam e Strabone depromptam Trogo imprudenter tribuerit; imo firmissimum inde sumi potest argumentum, eum in res quas tractaverat, omni cura ac debita religione incubisse; ac proinde operae pretium esse, iis quoque animum advertere, quae de Roxolanis alibi notavit: siquidem et illa ex Trogo deprompta esse poterant. De his autem alio loco sic disserit: »Roxolanos bellum egisse cum Mithridate, Ponti ac Parthorum rege, cuius potestati omnes illae regiones subiectae

erant, quae his temporibus Turcis parent... vixisse eos more Tartarorum trans Volgam fluvium degentium: sedes in agris habuisse; opes atque divitias nec possedisse, nec illas expetiise; negotia et quae ad vitam sustentandam erant necessaria res inter se mutando, sibi parasse, domos pagosque minime struxisse, sed in tentoriis aut tuguriis habitasse; de gregibus suis alimentum quaesivisse; neque sui quidquam, sed omnes res communes habuisse; vestimenta simplicia e pellibus animalium portasse; telisque, arcu ac hasta pro necessitate usos fuisse, nec non coniuges et liberos omnemque rem familiarem ubique secum traxisse.« *Chronic. mund. f. 155. (ed. an. 1550. in 4).*

### IN FRAGMENTUM 37.

*De Erotimo rege Arabum.* Paulo brevius narrat eadem Vincentius Cadlubonis, qui etiam de alio quodam Arabum rege mentionem facit, nec est a veritate alienum, quin et hanc notitiam, cum illa de Erotimo, ex eodem fonte hauserit. En verba eius: »Nec absimilis opum incubus habendi avidissimus apud regem Arabum erat, in quem innumeras opes et facultates regis munificentia congessit, Aetnam tamen cupiditatis non extinxit. Nam hic in thesaurarium introductus penum, dum inaestimabiles inibi gemmas conspicaret, velut improviso traiectus fulmine totus diriguit, morboque creditus languere repentino efferi iubetur, cuius in gemmis omnis erat gemitus: ha gemmas! ha gemmas! Causa denique languoris comperta, exquisitissimas gemmarum rex illi offert, quas ne cui praeter ipsum possidere liceat, glutire nititur, et meatu spiritus praecluso suffocatur.» *Vinc. Cadl.* I. 123.

### IN FRAGMENTUM 38.

Huius fragmenti initium usque ad vocem »iussit« Iustinus XLI. 6. e Trogo ad verbum adtulit: sequitur ergo, etiam illa quae ulterius de eodem Bactrorum rege Vincentius profert, itidem e Trogo desumpta esse, eo magis, quod nemo veterum scriptorum, qui ad nos pervenerunt, horum mentionem facit.

IN FRAGMENTUM 39.

*Eodem tempore condita est inclyta Roma.* Totum hoc fragmentum in opere Matthaei nonnisi paraphrasin verborum Trogi exhibet, quibus liber eius XLIII incipiebat. Idque et res de qua in Prologo sermo est, et ipsa Matthaei Westmonasteriensis verba, quae cum Iustini verbis mirum in modum congruunt, probare videntur. Namque Iustinus (XLIII 1.): *Breviter igitur initia Romani imperii perstringit* (Trogus), *ut nec modum propositi operis excedat* etc.; at persimillime Matthaeus: *regni* (Romani) *primordia paucis expedire curabo, ut non modum propositae brevitatis excedam.* Nec dubium quin in primordiis rerum Romanarum eodem loco a Matthaeo Westmonasteriensi expositarum haud pauca ex opere Trogi, cuius ille bene gnarus erat, desumpta sint; verum haec cum illis, quae a scriptoribus christianis serioris aetatis consignata sunt, adeo confunduntur, ut nunc discerni et seperari vix possint: quapropter prorsus omittenda esse censebam.

IN FRAGMENTUM 40.

*Rex Segobrigiorum Nannides.* De hoc rege ita Iustinus: »Regem Segobrigiorum Nannum nomine, in cuius finibus urbem *condere* gestiebant, amicitiam petentes conveniunt Simos et Protis.« Paulo autem inferius filium eius Comanum commemorat. Apparet igitur Trogum, ipsum natione Gallum, hoc loco de Gallis Segobrigiis eorumque regibus fusius tractasse. Quod, quum nemo scriptorum veterum, qui ad nos pervenerunt, de Gallis Segobrigiis quidquam memoria tradidisset, nec praeter nomen ipsum *Nannes* apud Athenaeum commemoratum, aliquid de eorum regibus constat, fas est inde colligere, horum quoque notitiam apud Vincentium asservatam, ex Trogi opere emanasse.

*quae hircina olicitate capiantur.* Confer cum his ea, quae Trogus in fragmento 48 dicit.

IN FRAGMENTUM 41.

*ab uno regulorum in coniectura perspicacissimo.* Ex his verbis perspicuum fit, Dlugossio textum quendam sub manu fuisse

latiorem, quam Iustini compendium, cui posteriora haec verba desunt; priora vero perperam a Graevio sic mutata fuerunt: *affirmat Ligur quidam.* Quam emendationem ineptam primus Duebner reiecit, textumque priorem a Bongarsio vulgatum restituit, nimirum: *affirmante regulo quodam.* Ceterum iam supra monstravi, fragmenta 30, 31 et 43 a Dlugossio nobis asservata esse, non est igitur quod miremur, eum etiam horum, quae supra legimus, notitiam accuratiorem non aliunde nisi e Trogo sibi parasse.

### IN FRAGMENTUM 43,

*ut alia satis multa, sic etiam haec ad memoriam nostrorum hominum reducere studuimus.* Congruunt haec cum illis, quae Matthaeus Westmonasteriensis de Trogo, ipsius, ut crediderim, verbis adtulit: illum nempe in opere suo »quasi mundi praeteriti cursum *ad memoriam posterorum reduxisse.*» Quare inter alia haec etiam est ratio, cur fragmentum hocce pro Trogi fragmento habere non dubitaverim.

### IN FRAGMENTUM 44.

*Teucrus.* Fragmentum hoc proprie ad librum XXIX spectat, quemadmodum id ab editoribus Iustini Parisiacis, nempe: ab El. Iohanneau et Fried. Duebner bene observatum est.

### IN FRAGMENTUM 45.

*Rege quoque Macedonum.* Omnes rerum antiquitatis scriptores nostris temporibus noti de *Ipandro,* solii Macedonici raptore, plane silent. Equidem inter Trogi fragmenta hocce ponendum putabam, duabus potissimum causis permotus: quod historicus ille vel praecipue Macedonicas res gestas narravit; ac dein, quod Vincentius, qui fragmentum hocce asservavit, praeter Trogum nullum historiarum scriptorem nominat.

### IN FRAGMENTUM 46.

*Et in Aegypto septenos.* Haec etiam Strabo (Geogr. XV. 695). refert ex Aristotele, qui absque dubio fons Trogo hic loci erat.

In operibus tamen Aristotelis, quae ad nos usque pervenerunt, haec desiderantur. Sunt quidem nonnulli, qui ad Auli Gelii locum VII. 4. respicientes, Strabonis codices erroris argunt, putantque pro ἑπτάδυμα rectius πεντάδυμα legendum esse; at contra opinionem illam valde pugnant haec, que Paulus Iurisconsultus in leg. III. Dig. profert: »Alioquin tradidere non leves auctores quinquies quaternas enixam Peloponnesi: multas Aegypti uno utero septenos.«

IN FRAGMENTUM 47.

*Perdices quidem.* Cf. Arist. de hist. animal. IX.

IN FRAGMENTUM 49.

*Frons ubi est magna.* Cf. Arist. de hist. animal. VIII et IX.

IN FRAGMENTUM 53.

*De hoc autem loco.* Sic codex Fuldensis, maximae notae, ac alii; solus codex Guelferbytanus: *de hac autem re.* Quae lectio si rectior agnoscatur, fragmentum indubie ad Trogi historiam Philippicam spectat; sin contra, Trogus visurus esset scripsisse comentarios in Aeneidem, quod omnem verisimilitudinem excedere arbitror. Quinimo, Virgilio in hoc versu loquente de urbe Roma, persuasissimum mihi est, Servii verba nonnisi ad historiam Trogi, et verosimile ad librum XLIII, ubi de Roma »tanquam orbis totius capite« tractatum est, posse referi.

# CORRIGENDA ET ADDENDA.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| *Pag.* | XI | *versus* | 10 | 45 | *corrige* | 43 |
| — | XIII | » | 2 | 37 | » | 35 |
| — | » | » | 25 | 1836 | » | 1845 |
| — | 2 | » | 4 | Vicent. | » | Vincent. |
| — | 3 | » | 8 | reipublicae | » | Reipublicae |
| — | 11 | » | 9 | Phaerei | » | Pherei |
| — | 12 | » | 25 | Greciae | » | Graeciae |
| — | 17 | » | 10 | Ptolemeo | » | Ptolemaeo |
| — | 18 | » | 13 | Ossol. 336. | » | Ossol. Nr. 336. |
| — | 21 | » | 19 | Cycenarum, | » | Cyrenarum, |
| — | 25 | » | 9 | Ut Ptolemaeus Achaeum denuo captum interfecerit et Antigonum Andro proelio navali pervicerit | » | Ut Ptolemaeus Eudemum captum interfecerit, et Antigonus Andro proelio navali Sophrona vicerit. (*Vid. Fragm. histor. graec. Car. Müller. Paris. 1849. T. III. p. 707 sqq.*) |
| — | *ibid.* | » | 10 | Calinico | » | Callinico |
| — | 54 | » | 11 | praesefert | » | prae se fert |
| — | 55 | » | 10 | Ossol. cod. | » | Ossol.; cod. |
| — | 59 | » | 25 | *Post vetum* videntur *adde:* Fieri tamen potuit Salaucem hic memoratum, regem a Seleuco diversum fuisse, atque fragmentum hocce potius ad librum XXXVII, ubi Trogus de Colchorum regum originibus ac rebus gestis fusius tractabat, referendum esse. | | |
| — | 63 | » | 22 | 45 | » | 43 |
| — | 65 | « | 26 | vid. 51—53) vacua sunt, | » | vid. 51—53 vacua sunt) |
| — | 67 | » | 18 | 45 | » | 43 |
| — | 68 | » | 2 | 43 | » | 41 |
| — | 69 | » | 9 | Horum. | » | Horum |
| — | 75 | » | 18 | Mecedonum | « | Macedonum. |
| — | *ibid.* | » | 21 | *Ad vocem* Perdiccas *adde sequentem adnotationem*: »Notitiam hanc de Perdicca, hodie in scriptoribus antiquitatis desideratam, egregie illustrant verba Suidae, qui dicit: Antipatrum, Macedoniae praefectum, reliquisse Epistolarum libros duos, et Historiam rerum a Perdicca in Illyria gestarum.« *Suid. v.* *Ἀντίπατρος.* | | |

# INDEX HISTORICUS

## in Prologos et Fragmenta Trogi.

### A.


**Aaron** aquam in deserto reperit p. 32.
**Aborigines** populus Italiae 38.
**Ace** urbs Phoeniciae 13.
**Achaei** (Achaiae incolae) 25. 27. 30. Achaicae civitates ibid. Achaicum bellum ibid.
**Achaemenes** dux Artaxerxis in Aegypto 7.
**Achaeus** Satrapa Antiochi M. in Asia 26.
**Acilius** Cs. Rom. 27.
**Aegyptus** 1. 5. 7. 8. 49. Aegyptii 32. Aegyptium bellum 13.
**Aemilius** Paulus (Lucius) 28.
**Aetoli** 26. 27. Aetola bella 26. Aetolicae urbes 1.
**Aethiopum** incursiones 5.
**Afri** 20. Africa ibid. 21.
**Africanus** v. Scipio.
**Agabazus** v. Megabazus
**Agathoclea** 26.
**Agathocles** filius Lysimachi 18.
**Agathocles** Syracusarum tyrrannus 21. 22.
**Agesilaus** rex Spartae 11.
**Agrigentum** urbs Siciliae 20.
**Alexander** Pheraeus Thessaliae tyrannus 11.
**Alexander** Molossus Epirotarum rex Olympiadis frater 12. 14.
— Magnus 4. 13. 14. 15. 33. 39.
— filius Pyrrhi 24. 25.
— fillus Crateri 24.
— filius Antiochi Epiphanis 31.
**Alexandria** urbs Aegypti 25.
**Ambigerus** Indorum rex 15.
**Ambri** Indiae populus 14. 15.
**Amilcar** dux Carthaginiensis, Magonis filius 20.
**Amyntas II** rex Macedoniae, Menelai filius 29. 30.
**Ancura** urbs Asiae 25.
**Ancyra** v. Ancura.
**Andrus** insula 25.
**Annibal** Magnus Amilcaris filius 27. 36. 38.
**Anno** dux Carthaginiensis Amilcaris I filius 20.
**Antigonus**, Philippi filius, Eumenem vincit 16. 17.
— Gonatas, Demetrii filius, superios nepos 23. 24. 25.
— Doson, antecedentis nepos, 25.
**Antiochus Soter**, rex Syriae, Seleuci filius 19. 23. 24. 25.
— Deus 25.
— Magnus Seleuci II filius 26. 27. 31. 38.
— Hierax 27.
— Sidetes seu Euergetes, frater Demetrii II 32.
**Antipater** Macedoniae praef. 14. 15.
**Antirus** Getarum rex 6.
**Apaturius** occidit filium Seleuci 25.
**Apollo** Delphicus 8.
— Sminthius 48.
**Apulorum** origines 14.
**Aquillius** Manius, fusus in Bythyn. 35.
**Arabes** 40.
**Aratus** princeps Achaiae 24.

**Araxes** amnis 3.
**Arbactus** Mediae praefectus, Sardanapalo occiso imperium ab Assyriis ad Medos transfert. 1.
**Archidamus** Lacedaemonior. rex 14.
**Areas** Lacedaemoniorum rex 24.
**Areteus** motus facit in Asia superiore 31.
**Argi** Pelloponnesi civitas 24.
**Argolica** bella 8.
**Argyraspides** Eumenis socii et proditores 16.
**Ariamenes** 25.
**Ariarathes** Cappadociae rex 16.
— Cappadociae rex cum Oropherne fratre certat 31.
**Aridaeus** Philippi filius 16.
**Ariobarzanes** Hellesponti praefectus 13.
**Aristonicus** rex Asiae 32. 37. 38. 39.
**Armenia** 39. eius praefectus Orontes 13.
**Arsaces** Parthus, motus facit in Asia superiore 31.
**Arses** Persarum rex 13.
**Arsinoe** (Ptolomai Lagi filia) Lysimachi uxor 18. 19. 23.
**Artabanus** Xerxis interfector 7.
**Artaphernes** Darii frater 4.
**Artaxerxes** (Longimanus) Xerxis filius 7.
— Mnemon Darii Nothi filius 10. 13.
**Aryba** rex Epiri 12.
**Asdrubal** Magonis filius 20.
**Asia** 3. 5. 10. 11. 13. 18. 23. 24. 25. 27. 31. 34. 36. 38. 39. Asiae civitates 18.
**Assyrii** 1.
**Astyages** Medorum rex 1.
**Atheas** Scytharum rex 1.
**Athenae** et Athenienses 4. 7. 8. Athenae captae 10. 11. 28. Atheniensium classis 11.
**Attalus** Pergami rex 25. 31. 32.
**Attalus** Philometor, prior. filius 32 39.
**Augustus** Octavianus Caesar. 46. 47.

## B.

**Babylon** (urbs Chaldaeorum princeps) capta a Cyro 1.
**Babylonii** 50.
**Bactri** 26. Bactriani 42. Bactriana bella 14.
**Bastarnae** gens celtica 27. 30. Bastarnici motus 25.
**Bebrycae** populus Asiae minoris 48.
**Belgius** dux Gallorum 23.
**Bithynia** 34. 35. 37. 39.
**Bithyni** 34. Bithynicae origines 18.
**Boeoti** 8. Boeoticum bellum 11.
**Bosphorus** (regio Scythica) 40. Bosporanorum regum origines 33.
**Brennus** Gallorum dux 23.
**Brutii** (populus Italiae), eorum origines 22.
**Burobostes** rex Dacorum 27.
**Byrebistas** vide Burobostes.
**Byzantium** 6, Byzantii 11. orig. 12.

## C.

**Cadusii** gens assyrica 13.
**Caeni** Thraces 32.
**Callinicus** vide Seleucus.
**Cambyses** rex Persacam 1.
**Camerina** urbs Siciliae 20.
**Camyntus** vide Amyntas.
**Canona** dux Atheniensium 13.
**Cappadocia** 16. 19. 34. 35. 37. 39. 40. Cappadoces 37. Cappadocum regum origines 31.
**Caranus** primus rex Macedoniae 11.
**Caria** regio Asiae minoris 25. eius origines et reges 13.
**Carpathos** insula 11.
**Carthago** inclita urbs Africae 27. 38. Carthaginienses 19. 20. 21.
**Cassander** filius Antipatri, rex Macedoniae 16. 17. 18.

**Ceres** 24.
**Ceramenses** (cives Cerami) 31.
**Chalcedonia** urbs Mysiae 6.
**Chalcidici** incolae regionis Macedonicae 12.
**Chaldaei** populus Assyriorum 2.
**Chaeronea** urbs Graeciae 12.
**Chii** (incolae insulae) 11.
**Chrestos** (Socrates) rex Bithyniae 37.
**Cimbri** gens Germaniae 36.
**Clearchus** tyranus Heracleae Ponticae 18.
**Cleomenes** rex Spartae 25.
**Clonymus** rex Spartae 17.
**Clitus** dux Alexandri 16.
**Cnidus** urbs Cariae 11. 13. Cnidiorum seditio 31.
**Codrus** rex Atheniensium 7.
**Colchi** populus Ponticus 17. 40., eorum origines 33.
**Corcyra** insula maris Ionici 17.
**Corinthus** urbs inclita Graeciae 21. 24. diruta 31., Corinthi tyranni 8. Corinthiacum bellum 11.
**Corinthii** 38.
**Craterus** dux Alexandri 16.
**Creta** insula 8. 31.
**Cretenses** incolae 48.
**Creticae** origines 26.
**Crissaeum** bellum seu primum sacrum 8.
**Croesus** ultimus rex Lydiae 1.
**Curetes** pater Teucri 46.
**Cyrenae** urbs et regio Africae 21. 24. Cyrenarum rex 16.
**Cypri** (insulae) origines 13.
**Cyrus** primus rex Persarum 1. 2. 3 4. 10. 33. 34.
**Cyrus** junior, filius Darii Nothi, a fratre Ataxerxe Mnemone victus 13.
**Cyrinus** praeses Syriae 46.

## D.

**Daci** 30., eorum origines et incrementa 27. 29.
**Dalmaticae** insulae 29.
**Danomalticae** insulae v. Dalmaticae.
**Danubius** 6.
**Dardani** Illyriae populus 25. 26.
**Darius** Hystaspis (filius) 1. 2. 4. 6. 39.
**Darius** Nothus, Artaxerxis (Longimani) filius 13.
— Codomannus Persar. rex ultimus 13.
**Datames** praefectus Paphlagoniae 13.
**Datis** dux Darii Hystaspis 4.
**Decelcicum** bellum (a Decelia pago Atticae) 10.
**Delphi** 23. Delphicum templum 7. Delphicus Appollo 8.
**Demetrius** (Polyorcetes) Antigoni filius 17. 18
— antecedentis filius, Antigoni Gonatae frater 24.
— Antigoni Gonatae filius 25.
— Philippi alterius filius, Persaei frater, a patre occiditur 27.
— Soter rex Syriae 31.
— Nicanor, Soteris filius, Syriae rex vincit Alexandrum 31.
**Dercullides** Spartanorum dux in Asia contra Persas 11.
**Dercyllides** v. Dercullides
**Dianae** aedes 24.
**Dion** eiicit Dionysium minorem 21.
**Diodotus** Tryphon 31.
**Diodorus** dux Seleuci Nicatoris 19.
**Dyonysius** Heracleae tyrannus 18.
— pater, Siciliae tyrannus 20. 21.
— filius, Siciliae tyrannus 21.
**Doricus** populus, Dorienses 7. 8.
**Dopanes** v. Datames.
**Dromichaetes** Getarum rex 18.

## E.

**Epatorius** v. Apatorius
**Epirotae** 25. eorum reges 19. 25.
**Epirus** 12. 18. 35.
**Erotimus** Arabum rex 41.
**Eucratides** Bactrianorum rex 42.
**Eumenes** Alexandri dux 16.

**Eumenes** I Pergami rex 27.
— II Pergami rex 31. 38.
**Evagora** rex Cypri 13.

F.

**Felini,** Galli in Asia 24.
**Flamininus** Titus Cs. Rom. Nabid. vincit 26.
**Frygia** v. Phrygia.

G.

**Galli** 24. 25. 27. 28. 36. 38. eorum origines 21. 23.
**Gallia** 36.
**Gallograeci** 31.
**Gaza** urbs Phoeniciae 17.
**Gela** urbs Siciliae 20.
**Germania** 36.
**Getarum** invasio in Italiam 27.
**Getae** 3. 4. 5. 6.
**Gordius** Cappadox 37.
**Gothi** vide Getae
**Graeci** 8. 10. eorum origines 20.
**Graecia** 4. 12. 14. 15. 17. 23.

H.

**Hamilcar** v. Amilcar
**Hannibal** v. Annibal
**Hanno** Magnus dux Carthaginen. 21.
**Hasdrubal** v. Asdrubal.
**Hellespontus** 16.
**Heraclea** civitas Ponti 18., eiusdem tyrannii ibid.
**Heraclidae** 8.
**Heracleoticae** origines 18.
**Hercullides** v. Dercullides.
**Herculis** posteri 8.
**Hiero** Siciliae rex 22.
**Hyrcanus** dux Iudaeorum 32.

I.

**Iason** Argonautarum dux 11.
**Idaea** nympha 47.
**Illyrici,** Illyrii 12. 26. 29., eorum origines 11., reges 12., res 27. Illyricum bellum 24. 25.
**Illyricum** 17. 23. 27. 29. 36.
**Imilco** Amilcari I filius dux Carthaginiensium 20.
**Indiae** rex v. Sandrocottus.
**Indica** bella 14.
**Ionia** 39.
**Ionicae** urbes 1.
**Ipander** rex Macedoniae 48. 49.
**Italia** 1. 14. 17. 19. 21. 22. 23. 24. 27. 28. 36. 38. Italiae origines 14. Italica bella 20.
**Iudaei** ab Antiocho subacti 32., eorum origines ibid., a Pharaone expulsi — opobalsamo mercaturam faciunt — regum gratiam virginibus pulchris sibi conciliant, ibid.
**Iulius** Caesar 41.

L.

**Lacedaemon** 24.
**Lacedaemonia** 25.
**Lacedaemonii** 10. 11. 27. 30., eorum classis 13.
**Lamiacum** (ab urbe Thessaliae) bellum 15.
**Lamsacum** bellum v. Lamiacum.
**Laudamia** Pyrrhi II filia 25.
**Leuctra** oppidum Boeotiae 11.
**Livius** historiarum scriptor a Trogo laudatus 28., idem a Trogo reprehensus 35.
**Lucanorum** origines 14.
**Lycia** (Asiae minoris regio) 50.
**Lycurgus** Spartanor. legislator 8. 9.
**Lydia** regio in Asia minore 16. 39., eius rex 1.
**Lysimachus** Alexandri dux 17. 18.

M.

**Macedones** 23. 24. 28. 34. 35. 48., eorum orig. res et reges 11. 25.
**Macedonia** 17. 18. 19. 23. 30. 38. Macedonicae urbes 23.

**Magi** Babyloniorum 1.
**Maltinus** v. Manlius.
**Mamertini** (Campani in Sicilia) 22.
**Mania** 11.
**Manlius** Romanorum dux 27.
**Manlius** Maltinus legatus ad Mithridatem 35.
**Mantinea** (in Arcadia) 11.
**Marathon** (campus haud procul Athenis) 4.
**Masinissa** Numidiae rex 38.
**Massiliensis** civitas 45.
**Medi** 1. 2. 5.
**Media** 26.
**Medias** vel Midias 11.
**Megabazus**, Artaxerxis dux 7.
**Megara** urbs 24.
**Mesopotamia** (regio inter Tigrim et Euphratem) 25.
**Messeniaca** bella 8.
**Messenii** 27.
**Metellus** Romanorum dux 30.
**Moesia** 6.
**Mithridates**, Ponti rex 37.
— Eupator Ponti rex 33. 35., cum Roxolanis bellum gerit. 34.
**Molon** satrapa Antiochi Magni 26.
**Monius** vide Monunius.
**Monunius** Illyriorum rex 23.
**Mothona** urbs 1. 12.
**Mummius** Spurius Cs. Rom. 30.
**Munychia** portus 16.
**Mytilus** Illyriorum rex 24.

## N.

**Nabis**. Spartae tyrranus 26.
**Nanides**, Segobrigiorum rex, patrem obtruncat; a filio pugione confoditur. 44. 45.
**Neoptolemus** Eumenis socius 16.
**Nicanor** defector a Macedonibus.
**Nicomedes** Nicomedis ex saltatrice filius 35. 36.
**Nilus** amnis 5.
**Ninus** rex 1.
**Numidae** 38.

## O.

**Ochus** (Artaxerxes) 13.
**Olympia** mater Alexandri 16.
**Olynthus** urbs Macedoniae 12.
**Ophellas** Cyrenarum rex 21.
**Orontes** Armeniae praefectus 13.
**Orophernes** rex Cappadociae 31.
**Ortiagontes** Gallus 27.

## P.

**Paeonum** origines 11.
**Pannónia** 23.
**Pannonii** 23., eorum origines 27.
**Papicius** v. Papirius.
**Papirius** 22.
**Paphlagoni** 13., Paphlagonia ibid. 3 39. 40.
**Partheniae** 9.
**Parthi** 4. 31., eorum prosapia 5.
**Pausanias** Macedo 13.
**Peloponnesii** 8., eorum origines ibid.
**Perdiccas** rex Macedoniae 16.
**Pergamus** 25. 38.
**Perinthos** 12.
**Persae** 1. 2. 4. 6. 7. 34. Persici praefecti 11. Persica bella 12. 13.
**Perseus** Philippi filius, rex Macedoniae 30. 38.
**Pharao** rex Aegypti 32.
**Pharnaces** Mithridatis avus 27. 38.
**Phasidés** aves 5.
**Phasis** fluvius 5.
**Philopoemen** dux Achaeor. 26. 27.
**Philippus** Magnus rex Macedoniae 11. 12. 13. 34. 39.
— Demetrii filius rex Macedonie 25. 26. 27.
**Phocense** bellum (sacrum) 12.
**Phoenicum** origines 19.
**Phrygia** 16. 37. 47.
**Piraticum** bellum 31.

**Pisidia** Asiae regio 31.
**Pisistratus** Atheniesium tyrranus 4.
**Pithon** 15.
**Poeni** (Carthaginienses) 20. 21. 22.
**Poliperchon** Alexandri dux 16. 17.
**Pompeius** v. Trogus.
**Ponti** situs 4., Pontus 14. 18. 33. 34. 39. 40.
**Prussias** 27. 31.
**Pseudo-Philippus** 30.
**Ptolemaeus** Lagi filius 17. 18.
— Philadelphus antecedentis filius 18.
— Ceraunus 19. 23.
— Lysimachi filius 23.
— Euergetes, etiam Trypho dictus 25. 26. 31.
— Hierax 25.
— Philometor filius Ptol. Epiphan. 31.
**Pydna** urbs Macedoniae 16.
**Pyrrhus** rex Epiri 4. 18. 19. 22 24. 35.

## R.

**Raphia** urbs 26.
**Remus** 44.
**Rhodii** 11. 17. 31.
**Rhodus** 17.
**Roles** vel Rolus, Dacorum rex.
**Roma** 23. 44.
**Romani** 19. 20. 22. 25. 26. 27. 30. 31. 32. 35. 36. 37. 39., Romanorum lex 10.
**Romulus** 44.
**Roxolani** cum Mithridate bellum gerunt 34.
**Rubobostes** v. Burobostes.

## S.

**Sabini** 38., eorum origines 14.
**Salauces** Colchorum rex v. Seleucus.
**Sallustius** a Trogo reprehensus 35.
**Samnitorum** origines 14.
**Sandrocottus** rex Indiae 17.
**Sardanapalus** Assyriorum rex 1.
**Sardes** Lydiae urbs 26.
**Satyrus** Heracleae tyrannus 18.
**Scamander** 47. 48.
**Scepsis** urbs Asiae minoris 11.
**Scipio** Publius Africanus 28. 38.
**Scipio** Africanus minor 38.
**Scipio** Asiaticus 27.
**Scythae** 2. 5. 33. 39., Scytharum feminae ad conciones invitantur 3.
**Scythia** 12. 39. 40., eius situs 4., Scythicae gentes ibid., res 1. 12., Scythica lingua 5.
**Segobrigii** gens Gallorum 44.
**Seleucus** Nicator Alexandri dux 17. 18. 19. 39.
— Callinicus filius Antiochi Dei 25.
— Philopator filius Antiochi Magni 27.
**Selgenses** 31.
**Selinus** urbs Siciliae 20.
**Sicilia** 19. 20. 21. 22.
**Siculae** res 10.
**Siculi** 21. 22.
**Sicuon** urbs Graeciae 24.
**Sicyon** v. Sicuon.
**Sicyoniae** tyranni 8.
**Sidon** urbs Phoeniciae 13. 19.
**Sinai** mons Arabiae 32.
**Sopyrion** v. Zopyrion.
**Sornus** Medorum rex 5.
**Sosistratus** Syciliae tyrannus 21.
**Sosthenes** dux Macedoniae 23.
**Spartani** 11., eorum rex Cleomenes 25.
**Straton** Tyriorum rex 19. 20.
**Sugambri** gens Indorum 14. 15.
**Sulpicius** dux Romanorum 26.
**Syracusae** 10. 20. 21.
**Syphax** rex Numidiae 38.
**Syria** 13. 25. 31. 46.

## T.

**Tanausis** Getarum rex 5.
**Tarentum** 19.
**Tarraco** Hispaniae urbs 46.
**Tarquinius** Superbus 38.
**Teucrus** Scamandri filius 47. 48.

**Teuta** Illyriorum regina 25.
**Thessalia** 11. 12. 25., eius orig. 4.
**Thraces** 12. Thracia 6. 36.
**Timarchus** socius Ptolomaei filii in Asia 24.
— Medorum rex 31.
**Timoleon** Siciliam a Carthaginiensibus liberat 21.
**Tisaphernes** v. Artaphernes.
**Tomyris** Getarum regina 2. 3. 4.
**Trogus** Pompeius laudat Xenophontem et Livium 28., hunc et Sallustium reprehendit 35., LI anno imperii Augusti Historias Philippicas terminat 44.
**Tros** 47.
**Trypho** Diodotus 31.
**Tusci** 1. 38.
**Tyrii** 19.

## U.

**Uticae** origines 19.

## V.

**Venetorum** origines 20.
**Vesosis** Aegyptiorum rex 5.

## X.

**Xenophon** a Trogo laudatus 28.
**Xerxes** Darii filius 4. 7.

## Z.

**Zopyrion** Alexandri dux 14. 33.
**Zyela** Bithynius 25.